

A D

EXAMEN PUBLICUM,

CUM

DISCIPULIS OMNIUM ORDINUM

GYMNASII MAGDALENÆI

CAL. APRIL. INSTITUENDUM,

INVITAT

DR. FRIDERICUS GUILIELMUS KLUGE,

RECTOR ET PROFESSOR.



PRAEMITTITUR COMMENTATIO:


DE RATIONE ATQUE USU ENUNCIATORUM HYPOTHETICORUM
LINGUAE GRAECAE.

VRATISLAVIAE,

TYPIS GRASSIO - EARTHIANIS. MDCCCLXXX.

BRES (1830)

1




D E

RATIONE ATQUE USU ENUNCIATORUM HYPO-
THETICORUM LINGVAE GRAECAE

SCRIPSIT

DR. J. F. KLOSSMANN.



Cum in multas partes grammaticae Graecae cognoscendas tam acris hominum callidissimorum collata sit diligentia, ut doctrina earum rebus obscuris illustratis dubiisque expeditis confirmata satis judicari possit atque absoluta, tamen, quod mireris, difficillima illa pars et gravissima, quae est de natura ac ratione enuntiatorum conditionalium, minore cura est pertractata, neque adhuc extra dubitationem posita videtur. Nam non solum viri, quorum iudicium est perpolitum et subtilissimum, in magna versantur varietate atque dissensione, sed praecepta etiam, quae condiderunt, aut ad certos tantum locos accommodari possunt, aut tam ambigua sunt, ut in multis interpreti minime satisfaciant. Praeterea institutio eorum non a ratione est suscepta, neque ad artem quandam atque scientiam redacta. Quamobrem haud alienum mihi videbatur esse, in doctrinam enuntiatorum conditionalium accuratius inquirere atque in medium proferre, quid mea quidem sententia, et universa rei natura perspecta et diligenti locorum interpretatione elici possit atque constitui. Ac primum quidem ab Homero ordiendum esse existimavi, non solum, quia temporis ratione ad eum omnia tanquam ad caput referenda sunt, sed etiam, quia leges ab eo conditae ceteris subtiliores videntur; quibus perspectis de natura ac ratione aliarum facilius potest dijudicari. Sed cum viderem multa de vi atque usu modorum, qui in universum apud Homerum valet, viam munitura ad cognitionem particularum conditionalium, esse praemittenda, ne modum huic commentationi circumscriptum transirem, ad eas leges explicandas animum appuli, quae apud probatos scriptores prosae orationis valent. Atque rem ita instituendam esse duxi, ut primum, quae sunt virorum doctissimorum de usu particul. condit. sententiae aut apud plurimos pervulgatae aut gravissimae, eas examini subjiciam, deinde meam sententiam exponam.

Atque initium capiamus ab Hermanno, omnium, qui rem grammaticam ratione atque arte concludere studuerunt, facile principe, gravissimoque non solum intelligendi auctore, sed etiam elegantissime interpretandi magistro. Attamen quas in doctrina particularum conditionalium protulit sententias, eae inter se collatae, ambiguae mihi videntur et ad locos scriptorum explicandos saepius infirmae, ut facile excusari possint, qui viri doctissimi vestigiis relictis ad rem enodatius explicandam animum conferunt. Nam, ut rem deinceps persequamur, docet Hermannus in adnotationibus ad Vigerum p. 830, particula *εἰ* cum Indicativo rem relinqui prorsus in-

certam utrum sit, an non sit. Sed vir clarissimus sibi ipsi constare non videtur. Nam p. 902 particulam *εἰ* c. Indic. ponit esse sumentis, quod *erit*, et p. 834 formulam: *εἴ γε δοκεῖ σοι* ei dici statuit, de quo *scimus*, quid ei placeat. Quam vim mutatam haud adtribueris particulae *γέ*, cujus vis non est, rem incertam efficere certam. Neque minus mireris, cur conjunctio *καὶ* ante particulam *εἰ* collocata, ex sententia Hermanni p. 832, rem non certam esse indicet, sed *εἰ καὶ* usurpetur nunc de re, quam esse veram judicamus, nunc, ut p. 833 docemur, si *καὶ* non cum *εἰ* jungis sed cum alio vocabulo, de re quae fieri fortasse potest. Unde, quaeso particulae illi copulativae, unde collocandae ejus rationi tanta vis oritur, ut quod natura incertum est ac dubium certum fiat et exploratum. Sed p. 834 vim particulae *εἰ* c. Indic. accuratius ita definit Hermannus, ut simpliciter ad cogitationem referendam esse censeat, adlatumque locum: *εἴ τι γίγνεται*, explicat: sumo fieri; utrum possit fieri vel futurum sit nec ne, nihil curo. Igitur sumta res videtur esse ea, quam pro arbitrio cogitando formatam in concessis ponimus, animum ab omnibus, quae in utramque partem dici possint, avocantes. Omnes itaque imagines et quaecunque in animum incidant et quocunque modo, sive praesto sint, ut collibitum est, sive invocatae veniant, denique, omnem motum animi inanem, qui ad cogitationem tantummodo valet, particula *εἰ* c. Ind. significari colligendum est. Quae sententia Hermanni ad plurimos locos non est apta, in quibus rem sumtam ad probabiles argumenti conclusi rationes referri videmus. Nam, ut locos primum eligam, in quibus auctor mentem suam accuratius exposuit, Thucyd. I. 38. dicunt Corinthii, qui bello implicati cum colonia Coreyra apud Athenienses graviter de superbia Coreyraeorum queruntur: *δῆλον ὅτι εἰ τοῖς πλέοσι ἀρέσκοντές ἐσμεν, τοῖσδ' ἂν μόνοις οὐκ ὀρθῶς ἀπαρέσκοιμεν*. Sed, quod in protasi dictum est demonstrarunt verbis, quae praecedunt: *αἱ γοῦν ἄλλαι ἀποικίαι τιμῶσι ἡμᾶς καὶ μάλιστα ὑπὸ ἀποίκων στεργόμεθα*. Qua ex re concessa, illud etiam, Corinthios majori coloniarum parti probari colligendum est atque concedendum. Cf. Thucyd. I. 32. in quo Coreyraei dicunt, se conjunctis Lacedaemoniorum et ceterorum Graecorum copiis, quae in majorem belli terrorem sibi inferendum imminet, haud pares esse, adduntque: *μέγας ὁ κίνδυνος εἰ ἐσόμεθα ὑπ' αὐτοῖς*, eamque ob rem ab Atheniensibus petunt auxilium. Quis demonstret Coreyraeos afflicta illa conditione utentes et fortuna, frustra de imminente civitatis sub hostium potestate redigendae periculo cogitasse? Quis credat, eos, qui ad arcendum periculum ab Atheniensibus auxilium petunt, non curasse utrum periculum fieri posset an non posset.

Platonis Apolog. Socratis §. 16. Socrates ipse aliquem inducit ita docentem: Nonne te pudet, Socrate, eo usum esse vitae instituto, unde tibi nunc periculum mortis imminet. Cui respondet Socrates: Haud recte dicis, si vivendi aut moriendi periculum putas reputandum esse, *εἰ οἶε δεῖν κίνδυνον ὑπολογίζεσθαι τοῦ ζῆν ἢ τεθνᾶναι* etc. Omnes sane concedent, Socratem de homine judicasse, quod necessaria fere ratione colligendum est. Nam qui viri sapientis institutum, unde mortis periculum imminet, reprehendit, is vitam et mortem in magno ponit discrimine, neque censet vivendi aut moriendi periculum non reputandum esse.

Thucyd. III. 28. Mytilenaei ad tradendam Atheniensibus urbem prompti fuisse ac parati narrantur, invitis iis, qui rebus praerant. Qui postquam vident, in periculum se venturos esse, *si soli relictis sunt*, morem gerunt. Thucydides usus est *εἰ* c. Indicativo: *εἰ ἀπομονωθήσονται*, neque rem haud probabilem indicavit. Nam si populus ab auctoritate magistratum discedit, dubitari non potest, quin hi soli relinquuntur.

Thucyd. IV. 128. *ὀργιζόμενοι οἱ στρατιῶται — ὅσοις ἐνέτυχον — ἢ εἶτινι σκευέει ἐκπεπτικόντι, οἷα ἐν νυκτερινῇ καὶ φοβερᾷ ἀναχωρήσει εἰκὸς ἦν ἔυμβήναι.* Quae verba docent, Thucydidem rem non pro arbitrio sibi finxisse sed conclusione quadam, quod in genere inest ad certam rem transductum haud abesse a vero existimasse. Sic conferatur Thucyd. I. 10. *εἴ τι χρῆ κἀνταῦθα πισεύειν, ἦν εἰκὸς ἐπὶ τὸ μείζον μὲν ποιητὴν ὄντα κοσμήσαι,* quo in loco Homerum, navium numerum ad Trojam oppugnandam missarum maximum edidisse, ex solito poetarum more omnia augendi et exornandi efficitur.

Plat. Apolog. §. 23. Socrates dicit: *εἰ δὴ τις ὑμῶν οὕτως ἔχει* etc. Si quis vestrum eo animo est, quod equidem nolim, sed si est. Quae verba referenda sunt ad ea, quae initio capitis dixit: *τάχα δ' ἂν τις ὑμῶν ἀγανακτήσειεν* etc. Socrates igitur ipse plane et perspicue explicat, rem fieri posse. Ad quam rationem multi loci sunt redigendi, nisi consilium scriptoris ineptum censemus. Sic in orationibus oratores dubitationes afferunt refellendas aut conclusiones confirmandas, particula hypothetica expressas. Jam ex eo, quod refellunt et student aut omnia tollere, quibus fides detrahatur atque consilia impediuntur, aut adferre argumenta, quibus res confirmetur et in recte collectis ponatur, satis indicare eos existimo, dubitationes illas et conclusiones rebus ipsis contineri neque locum habere non posse.

Thucyd. I. 33. *τὸν δὲ πόλεμον, δι' ὃνπερ χρήσιμοι ἂν εἴημεν εἴ τις μὴ οἶεται ἔσεσθαι γνώμης ἀμαρτάνει.* Quem locum etiam interpretor, *τάχα δ' ἂν τις οἶοιτο.* Nam nemo sane existimaverit, Coreyraeos, quorum maximi intererat, argumenta, quibus Athenienses ad bellum impellere studerent, plane laudari, neque relinqui quidquam ad refellendum, quo consilia irrita caderent, nemo inquam eos existimaverit, inani quadam dubitatione, quae ad rem minime pertineret, auditores defatigare voluisse. Sed, postquam suam sententiam exposuerunt, se Atheniensibus societate in eunda profuturos esse, haud temere reputant, fieri posse ut Athenienses argumentis propositis fidem detrahant. Cf. Demosthenis Olynth. II. §. 29 ed. Voemel: *Καίτοι ταῦτα εἰ καὶ μικρά τις ἡγείται* etc. i. e. facile credideris, ea, quae de Philippi moribus exposui, minoris esse momenti. Sed, addit Demosthenes, a viris accurate considerantibus pro maximis habentur argumentis perversi illius animi. Quum itaque homines existant rem accuratius non perpendentes, facile inde fit, ut rem haud accurate perspiciant, minoremque ei auctoritatem adtribuunt. Ita Philipp. I. §. 29.

Olynth. II. §. 32. *εἰ δὲ τις ὑμῶν — τὸν φίλιππον εὐτυχοῦντα ὄρων, ταύτη φοβερὸν προσπολεμήσαι νομίζει, σώφρονος μὲν ἀνδρώπου λογισμῷ χρήται.* Cf. Philipp. I. §. 4. *εἰ δὲ τις ὑμῶν — δυσπολέμητον οἶεται τὸν φίλιππον εἶναι, σκοπῶν τὸ τε πλήθος τῆς ὑπαρχούσης αὐτῷ δυνάμεως — ὀρθῶς μὲν οἶεται.* Primum, qui adversarium felicitate utentem, et maximum hostium numerum videt, is bellum cum iis gravissimum futurum esse recte colligit, neque rem inanem et incertam pro arbitrio cogitando format. Deinde quod orator sententias illas accuratius persequitur, explicat, confirmat et commendat, satis demonstrat sibi videri eas rebus ipsis contineri, et dignas esse, ad quas mentem intendant Athenienses.

Sed praeter eos locos, in quibus *εἰ c.* Indicativo conclusione contineri videmus, ad rem gestam etiam ita refertur, ut vim particulae causalis reddat, recteque ii statuere videantur, qui a particula causali haud differre existiment. Quae sententia quanquam ejienda mihi videtur, ut infra explicabo, illud tamen stat, Hermannum errasse vim particulae ad significationem ficti trahentem.

Sic Thucyd. I. 40. dicitur, *εἰ γὰρ εἴρηται ἐν ταῖς σπονδαῖς ἐξεῖναι* etc. Quam rem ita sese habere et Corcyraei Cap. 35. exposuerunt verbis: *εἴρηται γὰρ ἐν αὐταῖς (σπονδαῖς)* et Corinthii ipsi Cap. 40. concedunt, quanquam alia ratione interpretantur.

Thucyd. II. 87. Brasidas dicit: *εἴ τις ἄρα φοβεῖται*. Atque in extremo Cap. 86. Cnemus et Brasidas imperatores dicuntur militum animos a clade recenti tristes et demissos vidisse.

Thucyd. III. 32. Alcidas narratur captivos interfecisse. Legati Samiorum id factum improbant dicunt: *οὐ καλῶς ἐλευθεροῦν, εἰ ἄνδρας διέφθειρε*. Qua reprehensione nolint sane indicare, se in incerto relinquere rem, non curantes utram scelus commiserit an non commiserit.

Thucyd. III. 55. *εἰ δ' ἀποσηναὶ Ἀθηναίων οὐκ ἠθελήσαμεν*. Plataenses revera ab Atheniensibus noluerunt deficere, eamque ob rem bello petebantur a Lacedaemoniis.

Ibid. Plataenses dicunt: *εἴ τε τι ἄλλο κατ' ἐκείνον τὸν χρόνον ἐγένετο ἐπικίνδυνον τοῖς Ἑλλησι, πάντων παρὰ δύναμιν μετέσχομεν*. Profitentur Plataenses se Graeciae opem tulisse in rebus trepidis; quae nisi fuissent, auxilio ferendo non opus erat, omninoque scimus Graecos aliis periculis praeter Persicum bellum oppressos fuisse.

Thucyd. IV. 85. Brasidas dicit: *εἰ δὲ χρόνον ἐπήλθομεν*. Quod revera factum erat, et Brasidas ipse caussam explicat.

Thucyd. VI. 12. *εἴ τε τις ἄρχειν ἄσμενος αἰρεθεὶς παραινεῖ ὑμῖν ἐμπλεῖν* etc. Quibus verbis Nicias Alcibiadem perstringit, qui omni studio Athenienses ad expeditionem faciendam excitavit. Et accuratius expeditur verbis quae sequuntur: *ἄλλως τε καὶ νεώτερος ἐτι ὢν ἐς τὸ ἄρχειν, ὅπως θανμασθῆ μὲν ἀπὸ τῆς ἵπποτροφίας* etc. ad quae intelligenda conferas Cap. 15, ubi Thucydides de Niciae oratione dicit: *αὐτοῦ (Alcibiadis) διαβόλως ἐμνήσθη*, et de studio Alcibiadis equos alendi.

Thucyd. VI. 17. *ἄλλως τε καὶ εἰ στασιάζουσι* (urbes Siciliae), quae verba explicantur: *ὥσπερ πυνθανόμεθα*.

Platonis Apologia §. 15. Socrates dicit: *εἰ μὴ σὺ βούλει ἀποκρίνασθαι, ἐγὼ σοι λέγω*. Adversarius Socratis ad propositam quaestionem non respondit, quamobrem ipse Socrates partes ejus suscepit.

Atque Hermannus et qui eum sequuntur omnino eam ob causam errare mihi videntur, quod hypothesin cum re ficta et composita confundunt. Aliud est enim, quodcumque velis fingere, ea parte animi, quae expers est rationis et consilii; ut ii faciunt, qui somniantium instar, in cogitationibus defixi, pro lubitu imagines sibi in conspectu ponunt sola occupatione animi gaudentes atque motu inani. Qua in conformatione animi cum nulla res subsit, neque mens ad rem intendat, haud sane quaerendum est, num vera sint, quae finximus, num fieri possint. Sed aliud est fingere ratione et consilio, ita ut obscuras certae rei propositae partes percunctando et investigando, quid ad eam pertineat, et quae sit ejus vis ac natura, probabili conjectura assequamur et perspiciamus. Ut physici facere solent, qui incognitas rerum, quae sub aspectum cadunt causas et rationes perscrutaturi, conclusionem principium effingunt, quod et naturae rei congruens et firmum habendum sit, donec meliora edocti et accuratiore scientia convicti ex cura omittant. Differt igitur utraque ratio sumendi ita: Illa Subjectum cogitando fingit partibus descriptis, quod existere nescimus, proficisciturque ex ea parte animi, quam imaginandi vim appellare solemus, quae res fingit vel insolitas, et miras, neque constantes, animi vi sibi ipsi indulgente ac rationibus perspicendis supersedente, mutante et ornante, ut voluntas fert. Altera vero ratio sumendi ad

subjectam sensibus, seu datam rem, cujus natura incognita est refertur et in veri investigatione versatur, ita ut quid rei naturae aptum conjici, probabilique seu necessaria ratione praedicari possit, diligenter circumspectat. Quamobrem magna saepe scientia et arte homineque acutissimo opus est et natura et usu callido, qui hypothesin condat laudabilem omnibusque numeris absolutam. Igitur ut brevi complectar, res ficta et composita in incerto relinquit, num talis res, quam finxerimus, existat; hypothesis dubitationem habet, num res, quam existere scimus, talis sit naturae, qualem conjiciendo et colligendo describimus. Ita loci supra adlati docent, hypothesin referri ad certas res, personas et tempora, nitique ratiocinatione, quae, experientia nondum cognita ex genere et universa rei natura colligendo probabile aliquid elicit sua se natura et ratione confirmans. Nam quod in genere inest, id a certa re, quae generi illi subjicitur, haud alienum existimandum est. Et omnino in oratione et sententiarum contextu quia oratio neque esse potest neque intelligi nisi sententiae inter se sunt aptae et bene colligatae, haud perinde est, utrum quod superiori cogitationi adjungas ad eam pertineat aut ex ea consequatur, an singula proferas dissipata atque dissona. Postremo mecum statuo, vim Indicativi, Conjunctivi et Optativi in enuntiativis hypotheticis melius posse ea ratione intelligi, quia ad firmitatem argumenti conclusi unice usus modorum accomodatur.

Sed videamus nunc, quae Hermannus de Conjunctivo hypothetico praecipit. Ac locum, quem p. 834. ad explicandam illius vim adtulit: *ἐάν τοῦτο γένηται* ita interpretatur: Sumo hoc fieri, et omnino potest fieri, sed utrum vere futurum sit nec ne, id nescio, verum experientia cognoscam. Differt igitur Conjunctivus ab Indicativo ex sententia Hermanni, primum ita, ut ille, quod futurum esse nondum scimus, omnino fieri posse indicet, hic a re ficta eum assensum plane sustineat. Quae praecepta verbis differre mihi videntur, non re, quia ab Indicativo, etiam si indicet, rationes non explorari, illud quod Conjunctivo adtribuatur, non est remotum. Cum enim curare sit voluntatis et arbitrii, cur, quaeso, rem si cognoscere nolumus, in ipsam ejus naturam tantam habeat vim ut omnino fieri non possit. Jam eo ipso, quod res sumitur, animoque proponitur tanquam sit, eam etiam omnino fieri posse concedimus, quia, ut logici dicunt, ab esse ad posse valet consequentia. Sicut enim omnia, quae existunt, natura sua ita comparata sunt ut existere possint, ita etiam iis rebus, quas existere sumimus eam etiam simul naturam, ut existere possint adtribuamus necesse est. Quibus propositis Indicativus et Conjunctivus cum simpliciter rem sumant, neque diversa ratio qua aliquid sumi potest, discernatur, vi et natura non sunt dissimiles, videturque Hermannus eandem rem aliis nominibus secutus esse. Quod etiam locorum comparatio docet, qui, si Hermannum sequimur, difficilius expediri possunt. Nam Olynth. I, §. 15. dicit Demosthenes: Quis tam stultus est, quin nesciat, bellum (ad Olynthum) gestum in nostram terram translatum iri, si negligentes fuerimus, *ἐάν ἀμελήσωμεν*. Sed subjicit: *ἀλλὰ μήν, εἰ τοῦτο γενήσεται*, de eadem re *εἰ* et *ἐάν* utens ita, ut facile conjicias eum verborum pondera diligenter examinasse. Sed impedita fit loci interpretatio, si Hermannum duces sequimur explicantes priorem locum: id omnino fieri potest, et posteriorem: non curo, utrum fieri possit, nec ne. Causa enim nulla inveniri potest, cur Demosthenes postquam rem fieri posse jam concessit, in declaranda imagine iniquae rerum conditionis, in quam Athenienses sordida illa et temeritate sese conjecturi sint, particula *εἰ* utatur, indicans ad sese nihil attinere, fierine res illa possit nec ne possit. Ita non solum quod prius concessum est, tollitur, sed etiam tota vis adhortationis, ad quam orator sese composuit, elevatur. Eodem modo legimus

Olynth. III, 9. *ἀλλὰ μὴν εἴ τις ὑμῶν εἰς τοῦτο ἀναβάλλεται*, et infra de eadem re: *ἐὰν τὰ παρόντα προώμεθα*. Atque hoc etiam loco caussa expediri non potest, quae oratorem impulerit, ut eandem socordiam, quam adhortationibus tollere vult, nunc fictam existimet, nunc eam, quae fieri possit. — Philipp. I. §. 38. dicit: *εἰ δ' ἡ τῶν λόγων χάρις, ἂν ἢ μὴ προσήκουσα, ἔργῳ ζημία γίγνεται*. Jam si subjectum illud *χάρις* rem fictam indicat, quomodo quaeso, quod de eo praedicatur, haud fictum esse judicari potest? Ita sese habet locus Thucydidis I. 32: *εἰ δὲ τούτων μηδὲν σαφὲς κατασησοῦσι, μὴ ὀργιζέσθαι ἢν ἀτυχῶσι*. Res ita cohaeret, ut oratores qui argumenta confirmare non possunt, spe destituantur. Sed quomodo ex ficta caussa res consequitur, quae locum habere potest et ad experientiam spectat? Ac vellem Hermannus philosophia duce et ministra ad gravissimum illud discrimen mentem intendisset, quo rem fieri posse notamus. Nam res componitur cogitando pro voluntate et arbitrio, adtribuunturque ei novae partes, quae non ex natura ejus cognita aut certis caussis exploratis eliciuntur neque scientia continentur, sed ex aliis rebus pro lubitu comparatis transferuntur. In quo aliam rationem non spectamus nisi logicam, contendimusque fieri posse rem, si cogitatione et animo comprehendi potest, neque legibus illis in universum repugnat, ad quas in cogitando omnino sumus adstricti. Sic equum fingere possumus cogitando alis instructum, qui, quanquam experientia nondum sumus edocti, tamen cogitari et mente percipi potest, quia alae non repugnant naturae equi. Sic qui ab hostibus fugatus viribusque fractus est, tamen casu quodam ferente extrinsecus dato victoriam reportaturus cogitari potest. Qua conformatione animi transgredimur cogitando, quod natura certa certisque caussis definitum est et circumscriptum. Quam possibilitatem, ut verbo utar, philosophi appellarunt logicam, formalem, idealem, absolutam. Sed est alia ratio judicandi posita in scientia et arte, quam ex eventis saepius animadversis et notatis effecimus, qua ornati qui ad conjecturas accedunt, nihil constituunt, nisi quod explorata natura rei et certis caussis perspectis contineatur, atque usu experientiaque jam expositum sit et cognitum. Quam possibilitatem philosophi appellant metaphysicam, realem, materialem, relativam. Atque accidit, ut quod per logicam rationem fieri potest, per metaphysicam seu realem accidere non possit. Haec enim nititur scientia quadam legibusque certis, quae natura rei continentur ita ut conclusio probabilis reddi possit; illa ad rem spectat extrinsecus dandam et in casu ponendam, temere mente conceptam. Ratio metaphysica, quid veri simile sit, expedit; logica, neque cur casus omnino certis temporibus adtribuatur, neque cur ejus, quam sumpsit, naturae sit, demonstrat. Quod discrimen accurate tenendum mihi videtur esse et ad modorum vim discernendam et ad intelligendum id, quod fieri potest. Quae omnino si recte statui, ea etiam, quae supra de vi et natura hypotheseos exposui, probari videntur, in explicando discrimine particularum conditionalium rationes spectandas esse et caussas, quibus adducti sententiam concludamus et sumamus.

Sed videamus cetera, quae Hermannus de Coniunctivo praecipit. Addit ad verba illa, quae exposuimus, illud: experientia cognoscam, seu eventus docebit, qualis sit futura res, quamobrem Coniunctivum de re futura usurpari statuit. Sed quanquam eam sententiam non ejicio, Coniunctivum ad rem futuram spectare, illud tamen concedendum est, Indicativum cum *εἰ* etiam de rebus futuris dici, et ad experientiae significationem pertinere. Nam ut ex immensa locorum copia, in quibus *εἰ* cum futuro Indicativi legitur, paucos eligam, conferas Thucyd. I. 32. ext. *μέγας ὁ κίνδυνος, εἰ ἐσόμεθα ὑπ' αὐτοῖς*. Quod cur experientia, Coregraecorum re jam

inclinata, cognosci non possit, equidem non intelligo. Thucyd. I. 36. *τούτων δ'εἰ περιόψεσθε τὰ δύο ἐς ταῦτόν ἐλθεῖν*. Corcyraei hortantur, experientiaque, qualem vim in animos Atheniensium habituri sint, docebit. Thucyd. I. 40, quo loco de varia ratione belli quod instat gerendi sermo est: *εἰ γὰρ τοὺς καιὸν τι δρώντας δεχόμενοι τιμωρήσετε*. cf. I. 80. *εἰ δὲ μελετήσομεν* et 81. *εἰ μὴ γὰρ ναῦσι κρατήσομεν*, et III. 2. ext.: *εἰ μὴ τις προκαταλήφεται ἤδη*, qui loci de consiliis agunt capiendis, neque quisquam intelligat, cur, quaenam capturi sint homines, experientia non doceat. Atque omnino nescio, cur sumtionis alia sit ratio aut Coniunctivo aut Indicativo significanda, si fontem, unde notitiarum incertae proficiscatur indicamus, neque certius de re ipsa adferimus. Nam qui dicit, se post eventum rem intellecturum esse, is probat eam sibi ante eventum incognitam esse aliisque verbis eundem sensum exprimit, ac si simpliciter dicit: nescio in praesentia. Atqui qui dicit: non curo rem, is cum rem dubiam nolit explorare, nescit etiam quid futurum sit. Itaque Coniunctivus et Indicativus inter se non differunt, primum, quia verbis illis, non curo, non negatur, fontem esse unde res dubia possit expediri, deinde, quia quod alter explorare non vult, alter eventu nondum manifesto, explorare non potest, aequae incertum est. Igitur causa quae ad sumtionem mente concipiendam impellit, diversa est, sed varia ratio sumendi, qua alterum altero certius est aut Indicativo aut Coniunctivo discernendum, non exposita est. Et unde tandem scimus, nos experientia sola rem incertam cognituros esse, aut omnino cognituros? Postremo videtur Hermannus, cum Coniunctivo experientiae significationem adtribuat, ab ea Indicativum exclusisse. Quodsi voluit, improbandum videtur. Nam cum in usu modorum id tantum spectetur utrum rem sciamus an nesciamus, eodemque plane modo Indicativus usurpetur et de rebus experientia sensuumque iudicio exploratis et de rebus ratiocinatione conclusis, miror sane, cur in enuntiatis hypotheticis Coniunctivus solus ad experientiae significationem usurpetur.

Veniamus nunc ad ea, quae Hermannus de Optativo praecipit. Qui modus ex sententia Viri doctissimi p. 830. adnotat. ad Viger. conditionem ita indicat, ut fieri posse vel futurum esse id significetur, de quo est dubitatio, seu, ut p. 834. dicitur, formula *εἰ τοῦτο γένοιτο* significat: sumo hoc fieri, et fieri vel futurum esse cogitari potest, vel: *εἰ τοῦτο λέγοις, ἀμαρτάνοις ἄν*, si hoc dicas, peccaveris, et suspicor te hoc voluisse. Cui praecepto repugnant multi loci. Sic Platon. Laches §. 30. ext.: *ἐπεὶ κὰν ἐγὼ — ἤδιστ' ἐπιτρέποιμι, εἰ ἐδέλοι οὗτος*. Sed Nicias, qui ita dixit, causam, Optativum cur elegerit, ipse adfert verbis quae sequuntur: *αὐτὸς δὲ οὐκ ἐδέλει*. Platonis Apolog. Socr. §. 24. *εἰ πείθοιμι ὑμᾶς καὶ τῶν δεῖσθαι βιαζοίμην*. Sed Socrates et hoc capite et 23. ea facere recusavit. Thucyd. VI. 34. *Σικελιώται γὰρ, εἰ θέλομεν ξύμπαντες — ἀπαντήσαι*. Sed orator ipse dicit: *ὑμεῖς διὰ τὸ ξυνηθὲς ἤσυχον, ἤμιστ' ἄν πείθοισθε*. — Deinde a Coniunctivo minime differre videtur Optativus. Nam quod suspicamur esse, seu quod fieri vel futurum esse cogitari potest, priusquam plane exploratum sit, incertum est habendum, neque video, cur non aequae ac Coniunctivus experientia futura possit cognosci. Sic Demosthenes dicit Oratio. de Pace, §. 14. *εἰ γένοιθ' ὑμῖν πρὸς φίλιππον πάλιν πόλεμος*, et Thucyd. I. 90. *εἰ αὖθις ἐπέλθοι (ὁ βάρβαρος)*. Thucyd. II. 48. *εἴ ποτε καὶ αὖθις ἐπιπέσοι*, si redeat pestilentia. Qui loci ad tempus futurum spectant, et, utrum eventura sint illa pericula, nec ne, futura experientia sola cognosci possunt. Postremo mireris profecto, unde veniat, ut Optativus, qui in ceteris enuntiatis rem cogitatam exhibeat

atque fictam, in enuntiatis hypotheticis, vi plane commutata illud significet, quod suspicamur esse, id est, quod rationibus et caussis perspectis eventurum esse credibile est.

Nunc Buttmannum audiamus, qui ab auctoritate Hermanni aliquantum discedit. Ac docet vir doctissimus in *Grammat.* §. 126. *εἰ* cum Indicativo significare: *Möglichkeit ohne Ausdruck der Ungewifsheit*. Quae verba: *ohne Ungewifsheit*, cum ad protasin referenda sint, subobscura semper mihi sunt visa, varioque modo possunt explicari. Quid est enim certum? Rem ipsam si interpretamur certam esse, tum quaero quomodo, quod dubitationem non habet, sumatur earumque rerum generi adnumeretur, quae cum incerta sint posse fieri, non, esse facta dicamus. Quae qualisque est igitur illa communitas certi et incerti? Et si voluit verbis illis indicare, hypothesi quod incertum est, pro certo poni, tum non opus iis est, quia omnis sumtionis ea est vis, ut imaginem rei concessae et exploratae intueamur. Stat igitur solum illud, rem fieri posse. Sed cum Coniunctivus et Optativus etiam indicet, rem posse fieri, diversa ratio sumendi Indicativo, non est expedita. Nam, ut Hermannus, sic etiam Buttmannus in Coniunctivi et Optativi vi exponenda, ad id magis spectat quod incertum est, in quo non differunt modi isti, quam ad id quod altero certius existimari possit. Sic Coniunctivum explicat significare: *Ungewifsheit mit Aussicht auf Entscheidung*, locumque adlatum: *εἴν τι ἔχωμεν, δῶσομεν* interpretatur: *Dafs wird sich zeigen, seu: und das werden wir sehn*. Quae interpretatio cum ab ea, quae Hermannus adtulit, non differat, idem mihi repetendum est. Nam qui dicit: *eventus docebit*, qualis res sit futura, is eum eventum inexploratum habet, rei plane est ignarus. Quamobrem non explicat diversam rationem sumendi, sed caussam affert, cur sumat, et rem fieri posse existimet. Sed Optativum explicat: *Ungewifsheit ohne solche Nebengedanken*, seu simpliciter rem incertam esse significat. Sed Indicativus cum exprimat rem fieri posse, eam etiam in incerto relinquit; quae vis cum Coniunctivi quoque sit, Optativus non differt. Nam quae Buttmannus addidit ad explicandum Indicativum: *Möglichkeit*, et ad Coniunctivum: *Aussicht auf Entscheidung*, quia omnino, et quae sumuntur, fieri posse etiam putantur, et quae sunt incerta priusquam res exploretur, ea explorata pro certis habenda, non intelligo, cur quod Buttmannus verbis illis additis significare voluit, ab Optativo remota sint, qui eadem plane ratione quod ante exploratum eventum incertum est, pro certo ponit. Igitur Coniunctivus et Optativus verbis tantum discrepant neque, rem nisi fieri posse, et inexploratam esse, significant.

Tertius accedit, cuius sententia digna videatur, quae exploretur, Etzlerus, vir acutissimus in rebus grammaticis discernendis et explicandis, cuius me etiam disciplinae olim traditum fuisse et laetor, et pio ac grato animo profiteor. Ac docet in libro utilissimo, qui inscribitur: *Spracherörterungen*, p. 216. *εἰ* cum Indicativo sumtionem indicare dati, minimeque fere conditionalem particulam differre a caussali. Quae est etiam sententia Thierschii *Grammat. graec.* §. 328. Sed equidem dubito. Nam vir doctissimus haud concesserit, sumtionem, quae a voluntate dependet et arbitrio, omnino non differre a re concessa et explorata, quae necessario est definita. Nam quis sumat, quod datum est? Atque, quanquam non nego, Indicativum saepe poni de re, quam concessam existimaveris et exploratam, tamen conformatio cogitationis tam varia est, tam diversa, ut, quid auctor certis locis sibi ad cogitandum proposuerit, diligenter perscrutari debeamus. Ita loci ab Etzlero adlati, si ad mentem scriptoris accurate attendimus, minime probare videntur communitatem particulae conditionalis et caussalis. Nam, locus ex *Cyrop.* 1, 3,

6. adlatus: *εἰ τοίνυν οὕτω γιγνώσκεις* ita quidem est comparatus, ut sensus ferri posset, si legeremus: *ἐπειδὴ τοίνυν οὕτω γιγνώσκεις*. Sed Astyages ipsam rem exploratam animo non tenet, sed ad id spectat, quod Cyrus *dixit*, ex quo cum de vera eius sententia constitui non possit priusquam res ipsa sit demonstrata, dubitationi locus relinquatur. Quae interpretatio satis confirmatur iis locis, quos Etzlerus p. 250 adtulit. Verba enim Cyrop. I, 4, 10: *εἰ τοίνυν μὴ σὺ δέη* non sunt referenda ad rem certam et concessam, sed ad mentem Astyagis, qui *dixit*, se ferarum interfectarum copia non egere; quae sententia cum ficta esse possit et simulata, Cyrus dubitationi locum relinquens, particula *εἰ* utitur. Eodem modo I, 4, 12 explicanda sunt: *πονηρὸν λέγεις τὸ πρᾶγμα, εἰ μηδὲ ὑπὲρ ἡμῶν, ἂν τι δέη, δυνήσκει πράσσειν* etc. Ac recte iudicavit Etzlerus haec verba ad mentem Cyri referenda esse. Quamobrem pueri qui illa pronuntiarunt, quid Cyrus *dixerit* pro comperto habent, non rem ipsam cognoverunt. Sic Cyrop. I, 3, 4 verba: *εἰ ἀνάγκη σοι ἐπὶ πάντα τὰ λευάνια ταῦτα διατείνειν τὰς χεῖρας*, minime certum statum oculis subjectum indicant, sed *sententiam* Cyri, qui cum avo multi apponantur cibi, ex eo concludit, omnes degustandos esse; quae conclusio neutiquam tam necessaria est, ut contrarium admitti non possit. Postremo verba Cyrop. I, 6, 9, *σὺ εἰ ἐνορᾷς τινα πόρον* etc., Etzlerus ipse explicavit, Cyrum *conjecisse*, patrem adjumentum videre. Quae res cum nondum sit certa et concessa, particulae *εἰ* locus est. Et loci sunt in quibus quod hypothese exprimitur, plane negatur. Thucyd. III, 56 legimus: *εἰ ἄρα ἡμάρτηται*. Quae verba non sunt explicanda: cum peccatum sit. Nam Plataeenses qui oratione sua, sese nihil sceleris contra Lacedaemonios commisisse omni ratione probare student, verbis illis, se quidem non concedere indicant, quod a Lacedaemoniis crimini datur. Et in Plat. Apol. ὁ. 5. *τῆς γὰρ ἐμῆς, εἰ δὴ τίς ἐστι σοφία, καὶ οἷα*, cum Socrates, quae de se hominum sit fama, responso oraculi celebrata exponat, nisi forte iis quae supra adtulit repugnare vult, non concedit rem, sed concessam animo fingit. Ita intelligenda sunt cap. 17, quo in loco, postquam demonstravit, sese omni studio curasse ut mores Atheniensium emendarentur dixit: *εἰ μὲν οὖν ταῦτα λέγων διαφθείρω τοὺς νέους* etc. quae non est sententia Socratis ipsius, sed adversariorum eaque refellenda. Sed videamus de ceteris locis ab Etzlero adlatis p. 216. — Legimus Cyrop. II, 1, 16, *εἴ τι χείρους ἡμῶν ταῦτα ποιεῖν ἦτε, οὐδὲν θαυμαστόν*. Pendet particula *εἰ* a verbo: *θαυμαστόν*. Sed particula caussalis ob sententiarum nexum poni non potest, quia si poneretur, protasis, sensu loci plane mutato causam indicaret, cur non mirarentur, velut: cum inferiores in arte jaculandi essetis, hinc non miramur. Quae non est ratio loci. Neque rem certam et gestam, cuius iudicium in sensibus positum sit et experientia, Xenophon indicavit, sed conclusionem profert et conjecturam ex iis effectam, quae sequuntur: *οὐ γὰρ ἦν ὑμῶν σχολή, ὥσπερ ἡμῶν, τούτων ἐπιμελεῖσθαι*. Quae conclusionis ratio non est tam necessaria, ut contrarium admitti non possit. Postremo in loco, Cyrop. V, 5, 35, *εἴ τι καγὼ σοι πρότερον ἐχαρισάμην* etc., unde Etzlerus probare possit, Xenophontem rem certam et concessam indicasse, equidem haud intelligo. Quamobrem explico locum: Si bene de te meritis sum, ut mihi quidem videtur. — Sed praeter sumtionem dati, Etzlerus sumtionem dandi, Indicativi c. futuro et Coniunctivi propriam, constituit. Verum hac in re, cum magis temporum quam modorum ratio sit habita, multa videntur relicta esse explicanda. Primum enim vir doctissimus differentiam inter *εἰ* cum Indicativo futuri, et *ἐάν* cum Coniunctivo non illustravit, neque unquam eum existimo, cum *temporis* ratio eadem sit, promiscuum Coniunctivi et Indicativi usum, qui modi diversissimi

sunt, constituere voluisse. Deinde fundamentum illud divisionis, ut logici dicunt, omnino mihi nequam probandum videtur. Nam cum in modis definiendis id tantum spectetur, utrum res sit vera ac certa, an incerta, Indicativi eadem videtur esse ratio sumendi et de tempore praesenti et de futuro. Quamobrem non intelligo, cur segregentur quae eodem genere comprehenduntur. Ac si voluit Etzlerus aliam Indicativo futuri temporis vim adtribuere, tum qua ratione id demum fieri possit, demonstrandum est, praesertim cum ex locis adlatis colligi posse non videatur, Indicativum ad certam rem significandam pertinere. Ita etiam inter *εἰ* c. Optativo et *εἰ* cum Indicativo Imperfecti seu Aoristi, quam sumtionem ficti esse contendit, nihil distinguendum esse statuit. Attamen omnes sane quaesiverint, quomodo fiat, ut Indicativus et Optativus non differant, atque cur Imperfecto et Aoristo potissimum Graeci sint usi ad rem fictam designandam. Itaque, quanquam negari non potest, de rebus sumtis seu fictis esse sermonem, tamen id et omnino in hypothesin cadit et in singulis varia cogitationis conformatio videtur esse, cui promiscue in oratione contexta locum esse, nemo facile concesserit.

Quibus propositis videmus, viros, quorum iudicium et subtilissimum est et gravissimum, in magna versari dissensione, ita ut, quod ab alio in dubiis ponitur, ab alio pro certo atque explorato existimandum esse statuatur. Sed in oratione ipsa cum maximi intersit scire, quid auctor ad cogitandum sibi proposuerit, et quid in incerto reliquerit et quid firmum esse statuerit, dissensio illa expediri non potest, nisi diligenti locorum interpretatione atque natura et conformatio orationis perspecta. Ad hanc potissimum rationem mentem intendens, nunc meam sententiam exponam. Omnes, qui de natura particularum conditionalium scripserunt, si protasin et apodosin rationum et caussarum cohaerentiam significare statuunt, recte quidem logicorum partes sustinentes de materia in universam praecipiant, quae ad cogitationem est proposita. Sed Grammaticis alius idemque major aperitur campus. Nam ratio et causa non solum exprimitur particula *εἰ* sed etiam particulis *γάρ*, *ὅτι*, *ὡς*, *ἐπεὶ*, Infinitivo, velut *διὰ τὸ*, et Participio, ita ut, quanquam in genere omnes conveniunt, singula earum angustius valeat. Quamobrem cum in oratione contexta non omnibus locis promiscue conveniant, sensusque permutata particula efficiatur diversus, *forma* etiam earum logica consideranda est, i. e. ratio, qua cogitationes inter se compositae in unum quoddam cogantur; quam definitionem formae, a Grotefendio prolatam in libro, qui inscribitur: Grundzüge einer neuen Satztheorie p.12 unice veram existimo. Igitur in particula *εἰ* definienda non solum ad illud discrimen omnino attendendum est, sed etiam, quia ex conjunctis sententiis ponderata singulae cujusque vi, ipsa particularum significatio potest concludi, contextus orationis accuratissime est indagandus et consilium auctoris. Sed praeter *formam logicam* alia etiam est discernenda et probe animadvertenda, quae grammatica vocatur. Nam videmus, particulam *εἰ*, *ὅτι*, *ὡς*, *ἐπεὶ*, enuntiati esse subordinati; Participium, Adjectivi natura adsumta et ad Substantivum et ad verbum posse referri; neque subordinatum enuntiatum neque Participium sensum plenum exhibere numerisque absolutum. Quae cum ita sint, non solum quid ad cogitationes apte componendas oratione pertineat, est considerandum, sed etiam, num omnino componamus et quomodo. Utraque ratio arcte est conjuncta. Quamobrem accuratius mihi quaerendum videtur, quid sit forma grammatica, et quamnam vim habeat in orationem. Atque, quod multi grammaticae artis peritissimi statuerunt, formam logicam contineri cogitatione ipsa (Vorstellung), formam grammaticam ratione sensum mentis exprimendi (Darstellung) quanquam equidem in universum haud ejicio, tamen totius rei rationem accuratius

expedivisse non sunt visi. Nam omnis ratio exprimendi, cum verba signa sint cogitationum, ipsa nititur cogitatione ita, ut quod aptis verbis exprimimus, illud ipsum sit, quod sentimus; neque potest segregari et opponi, quod cohaeret. Quamobrem mecum ita statuo: Forma logica continetur cogitatione, ut verbo utar, objectiva, i. e. re ad cogitandum proposita. Sic particulae *ut* et *quod* ita non differunt si explicant, sed altera cum consilium altera causam indicet, re discrepant; quanquam Krügerus dissentit, qui in libro, cujus inscriptio est: *Erörterung der grammatischen Eintheilung und der grammatischen Verhältnisse der Sätze*, p. 6. sq. grammaticam differentiam re ipsa contineri existimat. Sed, quoniam videmus, formas grammaticas inter se admodum discrepantes, ad eandem tamen cogitationem referri posse, velut Accusativum Latinorum, et particulam Graecorum *ὄτι*, nescio, cur, quando de consilio seu causa cogitamus, quae sunt res diversae, forma tantum verbis cogitationem exprimendi sit diversa. Sic equidem puto haec enuntiata: Homo est diligens ergo laudatur, et: homo cum sit diligens laudatur, quia cogitationes eodem plane sensu componuntur, logica forma non differre, sed grammatica. Quae ex mea quidem sententia, modum describit, quo rem enuntiatam animo tenemus, referturque ad cogitationem subjectivam, i. e. ad ipsum motum et conformationem animi. Nam omnia quae animo observantur enuntianda, aut nova sunt cum modo dentur cognoscenda neque prioribus contineantur, aut jam cognita sunt memoriaque revocantur. Igitur aut res ipsa simulac datur, animo observatur scientiamque efficitur, aut rem cognitam sola cogitatione et memoria repetimus, ut, quid de ea statuendum sit, amplius quaeramus. Quod in oratione contexta notamus, quae aut procedit nova adjungens, aut regreditur vetera renovans, quam conformationem animi philosophi reflexionem nominare solent. Itaque, si oratio procedit animusque a priori avocatus ad posterius cognoscendum transit, enuntiatione utimur principali, quae sensum plenum exhibet et in dicendo aut segregata a ceteris aut consecutivis particulis exprimitur. Velut: Caesar venit, vidit, vicit, aut: Rex fudit hostes, tum ludos instituit, aut: Homo est diligens ergo laudatur. Verum qui dicit: Homo cum sit diligens laudatur, sensum quidem eundem exprimit, sed formam grammaticam mutat, quia rem notam et perspectam animo tenet memoria repetitam, eaque ex superioribus adsumta ita utitur, ut quod mente nondum conceptum sit neque cognitum, efficiat et explicet. Sic Cornelius Nepos dicit Miltiad. VII, 5: eo tempore aeger erat vulneribus, quae in oppugnando oppido acceperat, enuntiatione principali utens, quia de infirma Miltiadis valetudine neque aperte dictum erat, neque ita ut conjici posset. Sed deinde dicit Nepos: Itaque, *quoniam* ipse pro se dicere non posset, verba pro eo fecit frater Tisagoras, enuntiatione subordinata utens, quia prioribus res illa continetur et pro concessio exploratoque statuti potest, Miltiadem ob aegrum corpus pro concione dicere non potuisse. Hinc fit, ut conjunctionis etiam alius sit sensus. Subordinato enuntiato indicamus ipsam rationem et causam, a qua cetera dependent; enuntiato principali, quod alia causa datur explicanda. Verum etiam earum cogitationum, quae ad superiora referuntur, varia est ratio grammatica, prout in explicando aut analytica via utimur aut synthetica. Nam aut totum quoddam propositum est partibus incognitis, quas exponamus, aut partes sunt datae, quibus res quae nondum existit efficiatur et cognoscatur. Unde ratio explicandi alia est. Illa enim vim et naturam *rei datae* per partium enumerationem excutimus, describimusque qualis sit; hac rem non datam et cognitam qua causa extrinsecus data efficiatur et existat exponimus, temporaque rerum describimus. Sic: *Cimon incidit in eandem invidiam quam pater suus ceterique Atheniensium prin-*

cipes. Nam testarum suffragiis decem annorum exsilio multatus est. Quibus verbis Nepos, Cimon. III, confirmare vult sententiam priorem, invidiamque qualis fuerit per partes explicare; quibus mutatis res ipsa mutatur, neque invidia est. Sed Livius I, 37: *quia consulendi res non dabat spatium, iere obviam Sabini tumultario milite*, non explicat, quid sit obviam ire, sed cur in id potissimum tempus incidat. Quod aliter intelligi non potest, nisi caussa antegressa exposita, quae cognita est. Nam supra legimus: Tarquinius instandum perterritis ratus. Quae quidem explicatio duplici ratione, quae in verbo inest, nititur. Verbis enim in enuntiatis ita utimur, ut aut rem certam et datam ad genus revocemus, vimque ejus et naturam describamus. Velut si dicimus: Arbor floret, aut in memoriam revocantes multos per annos eam flores protulisse, quod diversis temporibus factum est uno nomine comprehensum notamus, aut quod certo quodam tempore oculis subjicitur, simpliciter describimus, animum avocantes a tempore, quo res ipsa sit effecta. Sed dicimus etiam: arbor floret, comparantes tempus praesens cum praeterito, quo flores nondum sub aspectum ceciderunt, exponimusque quod novum est, et cum maxime exstitit. Itaque, qui rem quandam in aliam certo tempore commutari videt, quamquam eadem forma verbi utitur, tamen aliud sentit atque is qui rei oculis subjectae naturam et vim definit. Atque sicut in illo exemplo vim, quam verbo florere tribuimus, non aliam quamdam in arborem cadere significamus et genus opponimus generi, ita in hoc exemplo, vim atque naturam, quae potentia, ut logici dicunt, inest, certo temporis momento in aspectum cadere indicamus. Igitur quando particulis caussalibus utimur ad explicandum, particula γὰρ rei datae naturam definit incognitam et vim, *rationemque* exhibet cur res illa ad certum quoddam genus sit revocanda; ceterae particulae ὅτι, ὡς, ἐπεὶ enuntiato subordinato *causam* adferunt ex superioribus repetendam atque notam, cur res quaedam existat. Deinde particula γὰρ rationem adfert, qua efficitur quod aliter esse non potest; particulae ὅτι, ὡς, ἐπεὶ rem significant cursu temporum rebus sic ferentibus datam, quae variis temporibus varia esse potest. Quod etiam loci supra adlati docent. Nam qui testarum suffragiis multatus est, is haud dubie *invidiae* cessit, satisque perspicimus, alio genere et natura rem illam contineri non posse. Sed qui dicit: Sabini obviam iere tumultuario milite, quia consulendi res non dabat spatium, is non exponit causam, quam semper talis res consequatur aut natura sua necessario consequi debeat, sed quod illo tantum tempore casu et fortuna et arbitrio hominum datum est. Postremo alia plane ratio est Praedicati in enuntiativis subordinatis. Nam cum ex superioribus repetatur cogitatione atque memoria, fit, ut rem per se spectemus, animum a complexu rerum et temporum plane avocantes. Sic qui dicit: Imperator educto exercitu hostes fudit, et triumphum egit, is rerum ordinem continuarum exhibet, scimusque cui loco quaevis res sit adtribuenda. Sed qui memoria repetit: Imperator postquam hostes fudit, triumphum egit, is temporis rationem et ordinem, quo illud gestum est, haud curat solam rem actam animo tenens. — Quae praecepta hisce exemplis confirmantur. Xenophon. Anabas. I, 3, 1. Cyrus in itinere constitit. Cujus rei ratio explicatur particula γὰρ ita: οἱ γὰρ στρατιῶται οὐκ ἔφρασαν ἵεναι τοῦ πρόσω. Primum haec caussa incognita est, neque in capite quod praecessit explicata, neque conjicienda, sed exstitit superioribus peractis. Et explicatio ea est, ut videamus, cur quod Cyrus fecit, tale fuerit, seu cur ex multis rebus quae fieri possent, ea exstiterit. Deinde conjunctio necessaria quadam ratione nititur, quia si milites progredi nolunt, necessario efficitur Cyrum consistere. Postremo res temporis ratione sunt definitae, quia eodem momento, quo milites non progredium-

tur, exercitus consistit. Sic infra com. 3, verbis: *ἐμοὶ γὰρ Κῦρος ξένος ἐγένετο* etc. Clearchus, cur seditionem militum moleste ferat, exponit. Primum rationem affert, quam milites nondum animo tenuerunt, remque ita explicat ut intelligamus, cui talia eveniant, qualia Clearcho, cum haud injuria in molestis ea ponere, quia, quam vim verbi molestiae tribuendam esse scimus, ea in res illas omnino cadit. Postremo eodem tempore comprehenduntur et molestia illa ac res molestae. Sic. I, 3, 6. Clearchus dicit: *νομίζω γὰρ ὑμᾶς ἐμοὶ εἶναι καὶ πατρίδα καὶ φίλους καὶ συμμάχους*. Quibus verbis explicat Clearchus rationem promissi, se milites secuturum esse et passurum quaecunque accidant. Quod qui suscipit is necessario summo milites amore amplecti existimandus est, atque omnia cum iis communia habere. Atque etiam tempore inter se conjuncta sunt, quia quando milites sequatur, amor ille simul subest. Hinc explicari potest cur saepius respondeatur formula: *δεῖ γάρ, ἀνάγκη γάρ*, quae significat, vim et naturam rei aliam esse non posse. Ita γὰρ ad Pronomen demonstrativum relatum rem qualis sit explicat, velut: *τοῦτο γὰρ μέγιστον, οὐ γὰρ ἤδελε* etc.

Sed videamus de ceteris particulis, *ἐπεὶ, ὅτι*. Anabas. I, 3, 6, quo in loco Clearchus promissi rationem particula *γάρ* exposuit, utitur etiam ad eandem rem explicandam particula *ἐπεὶ*. Verba sunt: *ἀλλὰ ἐπεὶ ὑμεῖς οὐ θέλετε πείθεσθαι, ἐγὼ σὺν ὑμῖν ἔψομαι*. Primum enuntiato illo subordinato rem pronuntiat, quam milites, utpote seditionis auctores, animo tenuerunt. Neque vim et rationem verbi *ἔψομαι* qualis sit, explicat, sed causam affert, cur hoc rerum statu ita agat; quod solum ab arbitrio ejus dependet, neque necessarium est. Deinde temporis ratio in enuntiato subordinato non est definita, cum Clearchus id solum spectet, milites se immodestos praebuisse, neque accuratius quomodo cum aliis cohaereat in ordine rerum, explanat. Anabas. II, 6, 29, legimus, imperatores interfectos esse, *ὅτι ἐστράτευσαν ἐπὶ βασιλέα*. Quae res est in illo orationis contextu satis nota, *causamque* explicat, cur supplicium consecutum sit, non necessaria quadam conclusione, sed casu ac fortuna illo tempore se dante. Deinde videmus expeditionis illius tempus non curari, et citra complexum rerum cogitari. Atque omnino particula *ὅτι* enuntiato objectivo ad rem certam et cognitam refertur, quamobrem saepius praecedat Pronomen *τοῦτο*. Velut in Plat. Apol. Socratis §. 25: *τὸ μὲν μὴ ἀγανακτεῖν — ἐπὶ τούτῳ τῷ γεγονότι, ὅτι μου κατεψηφίσασθε, ὅτι* positum est enuntiato subordinato, quia res est jam facta et nota, et causam indicat haud necessario sed voluntate Socratis efficacem, deinde quia temporis ratio incerta est, atque id solum cogitatione animo obversatur, rem esse omnino factam. — Sed videamus nunc de Participio. Cujus quidem rationem universam exponere cum ab hac commentatione alienum esse existimem, id tantum attingam, quo a particulis causalibus seu hypotheticis in contexta oratione differt. Atque considerandum est, quam ratione Participium et cum superioribus cohaereat, et cum iis, quae consequuntur. Ac primum Participium aut rem modo dictam excipit, aut novum quoddam addit, quod prioribus non continetur. Sic Herodot. IV, 122, *ὡς εὐρον*, deinde *οὗτοι μὲν τούτους εὐρόντες*. IV, 123, *ἐνέπρησαν αὐτό. τοῦτο δὲ ποιήσαντες*. Cf. 124. — IV, 130, *ἵνα παραμένοισιν — καὶ παραμένοντες*. Cyrop. II, 1, 1, *ταῦτα δὲ διαλεγόμενοι*, quae verba ad ea referuntur, quae modo dicta sunt, ut sexcenties legimus: *ταῦτα εἰπὼν*, oratione modo finita. Atque Participium rem significare novam quae ex superioribus non dependeat nec efficiatur, docent hi loci:

Anabas. I, 3, 3, Cyrus Clearcho dedit mille daricos. Quos accepit Clearchus; a Xenophonte Participio expressum: *λαβὼν*, quia rem significat, quae insecuta est. Ita commate 5,

dicit militibus Clearchus: Cum nolletis sequi, necesse erat ἢ ὑμᾶς προδόντα Κύρου φίλια χρῆσθαι, ἢ πρὸς ἐκείνον ψευδάμενον etc. Sed posuit Xenophon comm. 4: ἐπειδὴ δὲ Κύρος ἐκάλει et: ἐπεὶ δὲ ὑμεῖς οὐ βούλεσθε συμπορεύεσθαι, quia non sunt nova et incognita, sed ex superioribus memoria revocantur, et pro exploratis et notis habenda. Sic I, 3, 8, Κύρος δὲ τούτοις ἀπορῶν καὶ λυπούμενος, μετεμέμπετο τὸν Κλέαρχον, i. e. Cyrus, postquam de seditione militum audivit, *trepidus factus est*. — Ibid. ἔλεγε θάρρειν ὡς καταστησομένων τῶν πραγμάτων, i. e. Clearchus dixit, res compositum iri, quae sententia nova plane est neque prioribus data. Sic Thucyd. I, 24, Participia legimus, si de rebus temporum decursu sese excipientibus et novis sermo est, ut: προελθόντος τοῦ χρόνου, στασιάσαντες, et ἀπελθόντες. Verum dicit: οἱ δὲ ἐν τῇ πόλει ὄντες Ἐπιδάμνιοι ἐπειδὴ ἐπιέζοντο, Participio non utens; nam respicit ad verba: ἐληίζοντο τοὺς ἐν τῇ πόλει. Sed Participium etiam absolute ponitur. Quodsi fit, certum tempus non significat, sed ad quodcumque tempus cogitatione est referendum. Velut ὁ νικῆσας, victor, quicumque demum sit, aut quocumque demum tempore victoriam reportaverit, ut Thucyd. I, 120, ὃ τε γὰρ διὰ τὴν ἡδονὴν ὀκνῶν, etc. II, 60, ὃ τε γὰρ γνοὺς καὶ μὴ σαφῶς διδάξας etc. quae de genere dicuntur. Et sine articulo: Cyrop. I, 6, 5, quo in loco Cambyses cum Cyro colloquens dicit, homines si didicerint, quae a diis discenda concessa sint, rectius agere. Et utitur Participio, non particula hypothetica, quia sententia illa in universum de hominibus valet, quocumque demum res accidat tempore. Conferat. Olynth. II, 10, οὐ γὰρ ἔστιν — ἀδικοῦντα καὶ ἐπιορκοῦντα καὶ ψευδόμενον δύναμιν βεβαίαν κηρύσσασθαι, quod de quolibet homine, quocumque demum tempore moribus pravis utatur, valet. His propositis locum mihi datum esse existimo, de differentia hypothetici Participii et particulae hypotheticae exponendo. Participium *sola est sumtio ficti*, id est si absolute ponitur rem indicat, quae aut incerto tempore accidere potest; sola cogitatione depicta neque ad certas causas et res referenda, aut, si ad superiora adiungitur, rem significat, quae plane nova est, neque dependet a certa causa et ratione data, sed pro voluntate cogitando formatur.

Thucyd. I, 69, αἰτία γὰρ φίλων ἀνδρῶν ἀμαρτανόντων, κατηγορία δὲ ἐχθρῶν ἀδικησάντων. Hoc ἀμαρτάνειν et ἀδικεῖν, quo tempore et qua causa accidant incertum est, quia de genere tantum dicitur.

Thucyd. II, 60, προσόντος δὲ καὶ τοῦδε, χρήμασι δὲ νικωμένου, quae verba etiam in universum valent; quod sententia docet, quaecumque sunt composita: ὃ τε γὰρ γνοὺς etc.

Thucyd. III, 46, χρὴ δὲ τοὺς ἐλευθέρους οὐκ ἀφισαμένους σφόδρα νοιάζειν, quae sententia de re ficta agit et composita, nec tempore nec causa definita.

Demosth. Olynth. I, 27, μηδενὸς ὄντος ἐν αὐτῇ πολεμίου λέγω. Accurata loci comparatio docet, Demosthenem sola cogitatione sibi statum fingere, neque in rebus ipsis inesse causam et rationem cur pro certo conjici possit, rem locum aut habere aut habituram esse.

Demosth. Philipp. I, 2, οὐδὲν — τῶν δεόντων ποιούντων ὑμῶν, κακῶς τὰ πράγματα ἔχει. Demosthenes praeceptum proposuit, ad quod Atheniensibus conformanda est ratio agendi, sed animo tantum et cogitatione finxit, neque quidquam pro certo statuit, utrum unquam Athenienses morem gerant gesturive sint, nec ne.

Thucyd. II, 65, eodem plane modo Pericles dixit Atheniensibus: ἡσυχάζοντάς τε καὶ τὸ ναυτικὸν θεραπεύοντας περιέσεσθαι. Statum futurum Atheniensium felicem pro certo

conjici posse, verbis illis Pericles non dixit, sed eum statum sibi ipsi animo informavit, sententiamque suam aperit de eo quod agendum est.

Thucyd. I, 84, *σπεύδοντες γὰρ σχολαίτερον ἂν παύσαισθε*. Quae verba quanquam ad superiora referenda sunt, tamen non ita cohaerent, ut festinationem, ex iis quae jam dicta sunt, locum habere posse colligas, immo, quod plane contrarium est neque festinandi studium admittit, de Atheniensibus dicitur: *καὶ τὸ βραδύ καὶ μέλλον, ὃ μέμφονται μάλιστα ἡμῶν, μὴ αἰσχύνεσθε*.

Thucyd. I, 121, *δάνεισμα γὰρ ποιησάμενοι*. Quae res etiam est plane ficta et composita, neque quidquam adest in superiore oratione, unde conjici possit locum eam rem habituram esse.

Thucyd. I, 128, *μετὰ σοῦ βουλευόμενος*. Themistocles non dicit, se cum Rege Persarum unquam consilia habiturum esse, sed quando id fiat; quae est res mere ficta atque composita, neque causa cognita nitens et pro certo colligenda, se Graeciam in Persarum potestatem redigere posse, confirmat.

Atque puto satis his exemplis demonstrari, quatenam ratio sit Participii hypothetici. Quam differentiam nisi accurate tenemus, frustra de vi ac natura enuntiatii hypothetici quaeri existimo. Superest ut de ratione disseram qua cum Participio alia conjunguntur et ab eo dependent. Nam particulae enuntiatii subordinati protasin et apodosin conjungunt *sola cogitatione*, temporis continuationem non spectantes, ita ut multa in medio relinqui possint, aliaque sit res proxima, qua aliquid efficiatur. Sic Anabas. I, 3, 6, quem locum supra adduli, *ἐπεὶ ὑμεῖς οὐ θέλετε — ἐγὼ σὺν ὑμῖν ἔψομαι*, tempore non ita cohaerent, ut alterum alteri continetur, neque quidquam in medio relinquatur, sed Clearchus consilium suum simpliciter pronuntiat, quod quando quavē occasione exsecutus sit, in incerto relinquatur. Igitur posterius ad prius tanquam ad caput in ordine rerum describendo refertur, menteque conjunguntur, quae temporis intervallo discreta sunt.

Anabas. II, 6, 29, imperatores interfecti esse narrantur, quia contra regem Persarum expeditionem fecerant. Quo in loco perspicue videmus supplicium distare multum tempore, ab expeditione, quae sola mente causa primaria existimatur et caput, a quo cetera omnia quae consequuntur, repetenda sunt. Sed Participium significat simul rationem rei et causam, sive de rebus sermo sit eodem tempore comprehensus, sive de continuatis. Quamobrem medium sane tenet inter enuntiationes primarias et subordinatas, cum utriusque rationis particeps sit. Nam non solum explicat, cur res existat, sed cur res, quae existit, ejus tantum sit naturae et ad id genus revocanda, ita ut Participium necessario sit pars adnumeranda rei cui in oratione contexta ad explicationem adjungitur, sive de praesenti sermo est, sive de posteriore, quod ex priore, in quo inest, efficitur. Hinc fit, ut Participium statum rei describat partibus exponendis, remque certam ab aliis ejusdem generis distinguat. Atque quod supra vidimus in particula *γὰρ*, totum effici cum partes adsint, eodem tempore, neque dari aliud quoddam ac intercedere, quod interjecto tempore efficax sit, ita in Participio locum tenet; quo omnia ita cohaerere significantur, ut totum quoddam efficiant eodem temporis momento, aut eum prius adsit posterius illico continetur neque intercedat quidquam aliud. Quod docent loci Thucyd. I, 24: Epidamii *εστιάσαντες — ἐφθάρησαν*. Participium et causam adfert antegressam, cur aliquid exstiterit, et rationem, cur res quae existit ejus generis fuerit, quia motus non solum eam habent vim, ut aliquid efficiant, sed

etiam non aliam rem nisi perniciem adferant. Neque videmus tertium quoddam intercedere interjecto tempore, quod perniciem attulisse existimari possit, sed ipsi motus natura sua et ratione jam ad perniciem spectant et damnum. Sic infra legimus: Epidamnii legatos mittunt, orantes Corinthios, *μη̄ περιορᾶν φθειρομένους*, i. e. ut versantes afflictis in rebus Corinthiis curae sint. Eodem modo non solum caussa adfertur, sed etiam ratio, cur, quod efficiatur, tale sit, i. e. cur Corinthii benevolentia amplectantur Epidamnios. Quam quidem benevolentiam in praesentia afflicti illi, rerum statu ipso efflagitante, neque alia quadam interposita caussa, conciliare volunt. Sic Anabas. I, 3, 4, Thracibus expulsis, dicit Clearchus, Graeciae ultus sum injurias, Participio utens. Atque apertum est, ultionem illam expulsis Thracibus ita contineri, ut hoc simulac factum est, illud etiam existat neque aliud quidquam interponi possit.

Sed nunc in eum locum devenimus, cujus caussa explicatio illa formae grammaticae instituta est. Nam si verum est, quod de natura enuntiati subordinati dixi, id etiam in enuntiatum hypotheticum cadat necesse est. Quamobrem primum ita constituo: Omnes particulae conditionales, cum forma earum grammatica ea sit ut subordinatum efficiant enuntiatum, semper ad rem certam referendae sunt et ad sententiam, quae oratione superiore continetur memoriaque et cogitatione revocatur, ut novum quoddam efficiat et explicet. Quod nisi est, cum enuntiationi subordinatae, uti supra vidimus, omnino locus non detur, de enuntiato hypothetico etiam cogitari non potest, sed ponitur aut enuntiatum primum, velut: fac, fingas, aut Participium; cujus vis hypothetica quomodo a particula differat, jam demonstravimus. Atque, ut exemplo utar, qui dicit: Homines si errant, haud mirandum est, is, quoniam in genere dicit remque infinitam proponit citra complexum temporum et caussarum sola in cogitatione positam, ad hanc sumtionem ficti exprimendam particula hypothetica non utitur, sed Participio, vel Infinitivo. Verum si scimus homini parum erudito rem proponi certo tempore dijudicandam, recte utimur enuntiato hypothetico: *εἰ ἀμαρτάνει*, quia dijudicandi ratio quaedam illo tempore et statu certe adest; quam qui experientia percipere non potest, conjecturis assequi studet colligendo quod in genere et rei natura inest. Igitur, ut brevi complectar, particula hypothetica semper in veri investigatione versatur, remque, quam *existere scimus*, per partium enumerationem explanat; ceteris formis hypotheticis rem sola cogitatione fingi significamus; quamobrem utrum verum sit an falsum quod existere nescimus, minime curamus. Quod et cum iis convenit, quae de differentia hypotheseos et fictae rei proposui, et cum iis, quae de varia ratione dixi, qua rem fieri posse statuendum est. — Sed grammatica forma exposita superest, ut logicam formam diversamque vim et naturam particularum causalium explanemus. Quae quidem, mea sententia, ea est: Particulae caussales ad iudicium referendae sunt, quod logici nominant, *categoricum*, velut: Homo cum sit diligens laudatur, iudicio continetur: Homo est diligens. Sed hypothesis refertur ad iudicium *disjunctivum*, remque non actu existere significamus, sed potentia. Alterum iudicium est analyticum, sive de genere sermo sit sive de certis personis, rebus et temporibus, velut: Circulus est rotundus, aut: Haec arbor floret. Alterum iudicium notas syntheticas continet, quae neque in notione omnino insunt, neque omni tempore adsunt, sed aliis caussis intercedentibus certo tantum tempore dantur, atque sola experientia possunt cognosci. Quibus saepius animadversis et notatis cum scientia oriatur atque ars, ad certas res cognoscendas et personas et tempora ita adhibetur, ut *inductione et analogia* colligendo probabilem efficiamus conjecturam, qua quod in genere obtinet seu plerumque fit, ad singulas res transfertur. Neque vero necessario res potest constitui, cum

non omnia, quae rem efficiant, cognita sint. Quamobrem, quoniam e genere tantum colligimus, fieri potest, ut quod coniecimus, in rem certam non cadat; unde iudicium illud oritur disjunctivum: aut res est, aut non est; quo quidem utrum extra dubitationem ponendum sit, nescimus, illud tamen contendimus, alterum eorum fiat necesse esse. Sic de exercitu, et viribus et animo hostibus impari pugnam committente, dicimus: Si rem male geret, particula hypothetica utentes. Primum enim, cum pugna committatur, eventus rei non esse non potest; qui qualis sit aut futurus sit, quanquam experientia non edocti sumus, ex iis tamen, quae plerumque illa rerum conditione obtinuisse animadvertimus et notavimus, colligere possumus, rem ad cladem inclinare; quanquam multae excogitari possunt caussae, quae victoriam adferant. Quamobrem dicimus: aut vincet aut non vincet. Utrum eventurum sit, latet nos; verum alterum eorum necessario eventurum est. Quod iudicium disjunctivum licet per partes considerare et explicare, ita ut aut utramque deinceps ad cogitandum proponamus, aut alteram earum, quae vel verisimilior videtur, vel ad orationem gravior. Quamobrem semper cum vi quadam dicuntur, velut: Si vincet; animum avocando a clade, quae opponi possit, omnem rem ad illam cogitationem restringimus. — Atque hypothesin iudicio disjunctivo contineri, docent loci scriptorum ipsi: Platonis Apolog. Socr. §. 32. *εἰ οὖν τοιοῦτον ὁ θάνατός ἐστι, κέρδος ἔγωγε λέγω. — εἰ δ' αὖ οἷον ἀποδημησαί ἐστιν* etc. Quae hypothesis refertur ad iudicium disjunctivum, quod initio capituli proposuit Socrates: *Δυσὸν γὰρ θάτερόν ἐστι τὸ τεθνεῶναι ἢ γὰρ οἷον μηδὲν εἶναι μηδ' αἰσθησὶν μηδεμίαν μηδενὸς ἔχειν τὸν τεθνεῶτα, ἢ μεταβολὴ τις τυγχάνει* etc. Cf. Platonis Eutyphr. §. 4: Hoc considerandum est, utrum jure occiderit, qui occidit, nec ne. Ac si jure, mittendus est homo, sin minus, persequendus: *εἰ μὲν ἐν δίκῃ — εἰ δὲ μή.* Eutyphro. §. 19. extr.: *οὐκοῦν ἢ ἄρτι οὐ καλῶς ὡμολογοῦμεν, ἢ εἰ τότε καλῶς, νῦν οὐκ ὀρθῶς τιθέμεθα.* Cf. Plat. Apol. §. 13. *ἢ οὐ διαφθεῖρω, ἢ εἰ διαφθεῖρω, ἄκων,* i. e. mores juvenum aut corrumpto aut non corrumpto. Si corrumpto, invitus facio. — Deinde omnia etiam quae supra de enuntiatu subordinati natura dixi, ea in hypotheticum enuntiatum cadunt. Primum, certum temporis momentum ad quod rei cujusdam eventus sit referendus, non definitur particula hypothetica, sed solum rem per se spectamus, animo et cogitatione qualis sit amplectentes. Nam qui dicit: Si vincet exercitus, is de victoria sola quaerit, neque quoniam temporis momento et ordine rerum accidat, curat. Tum, uti supra definitivum differentiam Participii et enuntiatu subordinati, apodosi cogitatione tantum ac mente cum protasi componitur, temporis ratione ipsa segregantur. Velut: Si exercitus vincet, pax gloriosa concludetur; quae apodosi ad victoriam illam haud dubie tanquam ad caput referenda, neque ita in victoria inest, ut necessario cum ea adsit; immo longo tempore post evenire potest. — Quibus propositis unum tantum superest, ut differentiam ipsarum particularum conditionalium explicem. Quod primum de Indicativo et Conjunctivo fiat. Particula *εἰ* cum Indicativo partes significat, quae rem ipsam efficiunt, naturamque ejus et vim constituunt, atque, dum res ipsa existit, etiam adsunt. Particula *εἰ* c. Conj. significat rem, quae ex altera, quacum componitur, *efficitur* ac proficiscitur, neque locum habere potest nisi illa exacta. Velut, qui dicit: Si bello, (quod geritur) terra vastatur, sive vastabitur, utitur particula *εἰ* cum Indicativo. Nam terra vastata ad bellum dum geritur pertinet naturamque ejus et rationem definit. Sed qui, dum bellum feliciter geritur, dicit: Si pax gloriosa sequetur, is utitur *εἰ* c. Conjunctivo, quia de pace gloriosa, dum bellum geritur, sermo esse non potest, neque natura ac ratio belli ipsius definit. Igitur uti ea,

quae particula *εἰ* cum Indicativo significantur, belli rationem et naturam efficiunt, ita ea, quae particula *ἐάν* c. Conj. indicantur, bello efficiuntur. Illa locum habent dum bellum flagrat; haec bello composito fiunt. Quae quidem differentia non est vana. Nam duplici illa ratione enuntiandi nititur, cujus mentionem fecimus pag. 12, qua aut rem *qualis sit* describimus partes explanando, aut, rem quae antea sensibus non est subjecta, factam esse dicimus. Qua quidem ratione ea quoque, quae contra Etzleri sententiam de sumptione dandi propositi, illustrantur. Indicativus enim cum futuro rem significat, quae quo tempore conjecturam facimus, nondum adest sed expectatur, ita tamen, ut res omnes eodem statu temporis comprehendantur. Coniunctivus ad rem futuram etiam referendus est, ita tamen, ut locum habere possit posterior priore exacta. Velut qui dicit: Si victoriam reportabimus ex hoste, is, quando de bello dicit, quod adest et ducetur, utitur particula *εἰ* c. Indicativo. Verum qui dum pace omnes utuntur, de bello feliciter gerendo victoriisque reportandis cogitat, is particulam *ἐάν* c. Coniunctivo ponit, quia ad illud efficiendum opus est ut tranquillum rerum status qui eo tempore obtinet, plane commutetur. — Sed superest, ut Optativum explicemus. Qui etiam ad certum quoddam tempus refertur. Sed ab Indicativo et Coniunctivo ita discrepat, ut significet, quod non ex rei quaecumque componitur natura ipsa consequitur, neque certis legibus rationibusque concessis atque exploratis, continetur, sed casu quodam incognito ferente, et intercedente causa extrinsecus data fieri potest. Igitur sicut Coniunctivus et Indicativus possibilitatem, ut logici dicunt metaphysicam seu realem significant, ita Optativus possibilitatem logicam exprimit. Velut si quem bello fusum fugatumque tamen victoriam reportaturum esse cogitamus, utimur *εἰ* cum Optativo. Nam quanquam illum in praesentia fusum esse scimus, tamen multi excogitari possunt casus, quibus in pristinum rerum statum restituatur. Quae causae cum ex ipsa afflicta rerum conditione minime proficiscantur, ut extrinsecus dentur opus est; sed incognitae sunt, ita ut quod in genere quidem excogitari potest, tamen in singula re pro certo conjici non possit. Quod igitur per logicam rationem fieri posse concedendum est, id per metaphysicam rationem, causis incognitis, dubitandum est. Nunc superest, ut praecepta quae constituimus exemplis adlatis et illustremus et confirmemus. Ac primum Indicativi rationem exploremus, quae varia est. Nam

I. Rerum gestarum partes rationesque describuntur.

Demosth. Olynth. I, 14. Orator postquam *τὴν φιλοπραγμοσύνην* Philippi commemoravit socordiamque Atheniensium, illius rationem agendi describit accuratius verbis: *εἰ δ'ὁ μὲν, ὥς αἰεὶ τι μείζον τῶν ὑπαρχόντων δεῖ πράττειν, ἔγνωκώς ἔσται*. Primum haec verba ad certam rem, id est ad strenuam Philippi agendi rationem, cujus supra mentio facta, et ad certum tempus referenda sunt. Deinde, quanquam Athenienses nondum experientia edocti sunt de eo, quod Demosthenes proposuit, tamen ex moribus Philippi consequitur, efficitque ejus industriam, cursum eum non sistere dum bellum cum Atheniensibus gerit. Quod quidem etsi necessaria quadam ratione concludi non potest, quia multa cursum impeditura possunt excogitari, nihil tamen impedit, quin quod in universum de Philippo valet, ad belli illud gerendi rationem adhibeamus, quocumque demum accidat tempore. Videmus igitur partes iudicii disjunctivi obtinere, quarum altera necessario fiet. Postremo futurum positum est quia Demosthenes rei mentionem fecit, quae eo tempore nondum aderat; tamen Indicativus, ex iis quae supra explicavi, recte se habet, quia *φιλοπραγμοσύνη* Philippi describitur in universum, quae non

solum in praesentia sed etiam in posterum obtinebit. Nam si Coniunctivo usus esset orator, indicasset, rem eventuram esse, si Philippus industriam omiserit.

Thucyd. III, 42. *ὅστις διαμάχεται μὴ διδασκάλους τῶν πραγμάτων γίνεσθαι, ἢ ἀξύνετός ἐστι ἢ ἰδίᾳ τι αὐτῷ διαφέρει: ἀξύνετος μὲν, εἰ ἄλλῳ τινὶ ἡγείται etc.* i. e. Qui orationibus vim atque auctoritatem in res gerendas detrahit, is stultus est, siquidem alia ratione id effici existimat. Videmus hoc Cleonem partes stultae cuiusdam cogitandi rationis explanare. Atque particula *εἰ* usus est, significans, sese ita conijcere, neque pro certo et experientia edoctum scire quid adversarii cogitent, quamobrem etiam fieri possit, ut res aliter sese habeat, atque ipse cogitatione sibi formavit. Cf. ad hunc locum Thucyd. VI, 36: *Σαυμάζω τῆς δὲ ἀξυνεσίας, εἰ μὴ οἴονται ἐνδηλοὶ εἶναι.* VI, 39: *ἀξυνετώτατοι, εἰ μὴ μανθάνετε κακὰ σπεύδοντες.*

Demosth. Olynth. I, 12. *εἰ* — *Ὀλυνθὸν ἐμῆνος καταστρέφεται.* Pertinent haec ad belli gerendi rationem describendam. Ac de verbis: *εἰ δὲ προησόμεθα*, quae praecedunt, infra alio loco sermo erit. Indicativus positus est, quia, dum Athenienses cunctantur Olynthum adjuvare, Philippum urbem hanc sibi subjecturum esse, probabili ratione concludimus. Nescimus quidem, num revera ita eventurum sit, quia necessaria illa ratione quae est mathematicorum, constitui non potest. Sed illud stat: aut Olynthum subiget Philippus, aut non subiget; alterum necessario eventurum est. Et quoniam scimus in universum ita obtinere, ut qui rerum suarum curam non agat, is spe dejiciatur, ad veritatem hypothesis illa proposita accedere videtur. Futurum positum est, quia Olynthus nondum est capta; Indicativus, quia non bello exacto, sed dum bellum est socordiaque utuntur Athenienses, Olynthus capietur.

Sic. Olynth. I, 18. *εἴτε γὰρ — Ὀλυνθὸν παραστήσεται etc.*, deinde *εἴτε — προσκαθεδεῖται.* Demosthenes ipse iudicium disjunctivum pronuntiavit, cuius partes singulas considerat et explicat. Atque dum bellum geritur cum Philippo, locum habere possunt.

Sic. Olynth. II, 20, puto lectionem: *εἰ δὲ τι πταίσει* recte sese habere. Nam de certo bello sermo est, in quo Philippus rem bene gessit. Verum cum saepius jam cognoverimus experientia, bellum ancipiti Marte geri, neque pateat, cur in Philippum rerum commutatio non cadat, ratio adest probabilis, cur ita statuamus. Deinde illud *πταίσει*, quandocumque etiam accidat, refertur ad belli gerendi tempus. Igitur Indicativus recipiendus est.

Olynth. III, 16. *εἰ δὲ καὶ ταύτης κύριος τῆς χώρας γενήσεται.* Demosthenes dixit, Philippum omnia jam occupavisse, ut illud fere supersit. Atque ex iis quae jam Philippus egit, probabili ratione conijci potest, Athenienses opportunum Macedoni resistendi et nocendi tempus si non curant, eum hanc etiam terram in potestatem redacturum esse. Quod non fiet bello exacto, sed dum geritur, pertinetque ad ejus naturam et rationem. — Cf. Olynth. I, 27: *εἰ δὲ δὴ πόλεμός τις ἦξει*, i. e. si bellum accedit, dum illa, quorum modo mentionem fecit, aguntur. Cf. Olynth. I, 26: *εἰ — ταῦτα δυνήσεις μὴ πράξει.* Orat. de Pace, §. 18: *εἰ γὰρ Ἀργεῖοι μὲν καὶ Μεσσηνιοὶ etc.* — *ἐχθρῶς σχήσουσι.* Cujus rei rationem ipse Demosthenes explicat verbis: *διὰ τὴν πρὸς Λακεδαιμονίους ἡμῶν ἐπικηρυκίαν*; neque improbari potest. Thucyd. I, 80, *εἰ δὲ μελετήσομεν etc.*, et 81, *εἰ δ' αὖ τοὺς ξυμμάχους ἀφιστάναί πειρασόμεθα etc.* varia ratio belli gerendi consideratur, ut verba etiam doceant, quae loco posteriori subjiciuntur: *τίς οὖν ἔσται ὁ πόλεμος.* Cf. Thucyd. III, 13, *πρόσοδος καὶ ἔτι μείζων ἔσται, εἰ ἡμᾶς καταστρέφονται*, quod hoc bello, uti anceps

est hominum sors, fieri potest. Cf. I, 32. *μέγας ὁ κίνδυνος εἰ ἐσόμεθα ὑπ' αὐτοῖς*, i. e. cum tantae copiae Corcyraeis bellum illaturae sint, probabili modo concludi potest, Corcyraeos subactum iri. Quod non fit bello composito, sed illud ipsum est, quod bellum componit. Thucyd. III, 28. Mytilenaei ad pacem cum Atheniensibus faciendam prompti sunt, invitis iis, qui rebus praesunt. Qui postquam vident, populi iram coerceri non posse ac se ipsos in periculum venturos esse solos relictos, pacem adprobant. Thucydides posuit: *εἰ ἀπομονωθήσονται*, quia et probabili ratione colligendum est et locum habet dum ille rerum status obtinet; quamquam in quodnam incidat momentum temporis non curatur. — Thucyd. III, 65 init., ubi variae rationes quibus Thebani Plataeis potiti esse existimari possunt, recensentur. Thucyd. IV, 36, ubi de ratione eaque meliore quibus Lacedaemonii, postquam primus impetus male cessit, peti possint, explanatur.

II. Atque his propositis ut notio universa rationibus modisque explanatis in partes solvitur, ita certa quaedam res ad genus revocatur, interpretaturque etiam vim ac naturam rei, si aut cum ea componimus cogitatione, quae subesse videtur, aut cum mente consilioque hominum, a quo proficiscatur, sive cum consilio capiendo, quod necessitas rerum exigit. Deinde *εἰ* ponitur, quia res sola conjectura probabili continetur, et dubitationem habet. Platonis Apologia Socratis §. 32. de morte quaerit Socrates, bonis an malis sit adnumeranda. Atque sententiam suam postquam initio cap. iudicio disjunctivo exposuit, singulas ejus partes deinceps explorat et persequitur verbis: *καὶ εἴτε δὴ μηδεμία αἰσθησίς ἐστιν*, et: *εἰ δ' αὖ οἷον ἀποδημησάει ἐστίν* etc. Atque Indicativus ponendus est, quia genus, quo mortis natura continetur, explicatur conjectura probabili. Sic Phaedon. Plat. §. 9. *εἰ οὖν τοῦτο ἀληθές* etc., quod ad genus sententia philosophorum revocanda esse videtur. Cf. Thucyd. I, 9. *εἰ τῷ ἱανὸς τεκμηριῶσαι*, quod de Homero praedicari potest. Cf. I, 73. *εἰ καὶ δι' ὄχλου μᾶλλον ἔσται*. I, 122. *εἰ καὶ δεινὸν τῷ ἀκούσαι*. II, 61. *εἰ δ' ἀναγκαῖον ἦν* etc. VI, 24. *εἰ τῷ ἄρα καὶ μὴ ἤρεσκε*. Demost. Olynth. III, 29. *ἀλλ' ὡ τᾶν, εἰ ταῦτα φάσιν* etc. Platonis Laches §. 31. *εἰ δὲ τις ἡμῶν καταγελάσεται*. Plat. Apolog. §. 16. *εἰ οἶει δεῖν κίνδυνον ὑπολογίζεσθαι*. Quae sententia subesse videtur Socrati in reprehensione, in quam vir sapientissimus ob nimium suum studium, unde mortis periculum imminet, apud multos incurrit. Thucyd. I, 32. *ἔγγνωμη, εἰ μὴ μετὰ κακίας, δόξης δὲ μᾶλλον ἀμαρτία τῇ πρότερον ἀπραγμοσύνη ἐναντία τολμῶμεν*. Hoc enim subesse existimandum est Corcyraeorum rationi agendi. Thucyd. I, 35. Corcyraei dicunt, foedere sanctum esse, ut iis qui eo nondum tenerentur, societatem inire liceret, quibuscumque in animo esset. Cujus foederis legibus plane repugnare dicunt, si soli Corcyraei prohibeantur. Quod quidem consilium rationi Atheniensium agendi subesse interpretantur conjectura. Cf. Thucyd. I, 53. *ἀδικεῖτε, ὡ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πολέμου ἄρχοντες* etc. *εἰ δ' ὑμῖν γνώμη ἐστὶ κωλύειν τε ἡμᾶς*. Thucyd. III, 56. *εἰ γὰρ τῷ αὐτίκα χρησίμω ὑμῶν τε καὶ ἐκείνων πολεμῶ τὸ δίκαιον λήψεσθε*. Plataenses existimant, tali animo Lacedaemonios adductos de rebus suis iudicaturos esse. IV, 40. *εἰ τοὺς ἀγαθοὺς διεγίνωσκε*. Lacedaemonius ad quaestionem, num qui in pugna cecidissent fortes viri habendi essent, respondit, sagittae maximum tribuendum esse momentum ac vim in discrimen inter fortes et ignavos constituendum. Atque videmus, iudicium illud de virtute caesorum ad id genus eamque rationem referendum esse. Demosth. de Pace. §. 8. *εἰ ἐγκαλεῖ*. Ita enim multos maligne interpretari posse existimat Neoptolemus. — Sic sententia quaedam aut ratio agendi commenda-

tur iis quae subesse debent. Thucyd. III, 44. οὐ γὰρ περὶ τῆς ἐκείνων ἀδικίας ἡμῶν ὁ ἀγὼν, εἰ σωφρονουμέν. Ab hac enim ratione omnia quae agenda sunt, proficiscuntur. Cf. IV, 60, 61. VI, 11. Demost. Olynth. I, 2. εἴπερ ὑπὲρ σωτηρίας αὐτῶν φροντίζετε. Cf. II, 13. III, 2. Plat. Apolog. Socr. ἡ. 26. εἰ δεῖ γε κατὰ τὴν ἀξίαν τῇ ἀληθείᾳ τιμᾶσθαι, ad quam iudicium revocandum videtur. Cf. Thucyd. II, 45. εἰ δέ με δεῖ καὶ γυναικείας τι ἀρετῆς — μνησθῆναι. — Sed res non solum componitur cum consilio capto, sed etiam certo quodam rerum statu capiendo. Ita: Thucyd. I, 36. εἰ περιόψεσθε. Nam Atheniensibus consilium, dum ille est rerum status, capiendum esse certum est, quanquam, quale demum sit futurum, necessaria conclusione definiri non potest. Sed alterum fieri necesse est, aut Athenienses adhortationi Coreyraeorum morem gesturos esse aut non. Quam partem Coreyraei persequentes, quantum incommodi nascatur ostendunt. Cf. Thucyd. I, 40. εἰ ἴτε et infra: εἰ τιμωρήσετε. I, 53. εἰ μὲν οὖν ἄλλοσέ ποι βούλεσθε πλεῖν etc. I, 91. εἰ δέ τι βούλονται Λακεδαιμόνιοι — πρεσβεύεσθαι. II, 1. εἰ τις βούλεται. III, 32. IV, 36; 48. — III, 2. καὶ εἰ μὴ τις προκαταλήφεται etc. III, 47. εἰ δέ διαφθερεῖτε τὸν δῆμον τῶν Μυτιληναίων. Demost. Olynth. I, 12. εἰ προησόμεθα. I, 17. εἰ ὀλιγορήσετε. I, 24. εἰ οὐ τολμήσετε. III, 6. εἰ μὴ βοηθήσετε. III, 8. εἰ τις ἀναβάλλεται. Quibus in locis non pro explorato et concessio statui quod propositum est, ex natura hypothetici enuntiati sequitur, sed dum certus ille rerum status tenet, rationibus certis fieri posse non inepte iudicant, qui ea forma dicendi utuntur.

III. Singulae partes quae rem efficiunt, sibi opponuntur et comparantur. Quod fit si partes iudicii disjunctivi deinceps explorantur, sententiaque adversarii admittitur, ut hi loci docent: Thucyd. I, 28. ἐκέλευον Κορινθίους τοὺς ἐν Ἐπιδάμνῳ φρουροὺς τε καὶ οἰκητορας ἀπάγειν, ὡς οὐ μετὸν αὐτοῖς Ἐπιδάμνον· εἰ δέ τι ἀντιποιοῦνται etc. Sententia Coreyraeorum est, Epidamnium ad Corinthios nihil pertinere. Quae res cum in sola cogitatione ponatur, quae, priusquam satis explorata sit, aut vera aut falsa esse potest, aliam etiam admittit explicandi rationem. Cf. I, 33. τὸν δὲ πόλεμον — εἴ τις ὑμῶν οἴεται μὴ ἔσεσθαι. Nam fieri potest, ut Athenienses argumentis a Coreyraeis propositis fidem detrahant. Cf. I, 123. μὴ μεταβάλλειν τὸ ἔδος, εἰ ἄρα πλούτῳ τε νῦν καὶ ἐξουσίᾳ ὀλίγον προφέρετε. II, 63. εἰ τις καὶ — ἀπραγμοσύνη ἀνδραγαθίζεται. II, 64. εἰ μὴ καὶ — ἐμοὶ ἀναθήσετε. IV, 22. ἀλλὰ εἴ τι ὑγιᾶς διανοοῦνται. IV, 86. ἀξιῶ — προσχωρεῖν τε ὑμᾶς θαρσύναντας· καὶ εἰ τις ἰδίᾳ τινὰ δεδιώς etc. IV, 118. εἰ δέ τι ὑμῖν εἴτε κάλλιον εἴτε δικαιότερον τούτων δοκεῖ εἶναι. VI, 23. εἰ δέ τῳ ἄλλως δοκεῖ. Demosth. Olynth. II, ἡ. 20. εἰ καὶ μικρὰ τις ἡγεῖται. Olynth. III, ἡ. 19. Philipp. I, ἡ. 4, ἡ. 15, ἡ. 29. Plat. Apolog. ἡ. 1. εἰ μὴ ἄρα δεινὸν καλοῦσιν. Cf. ἡ. 21. extr. εἰ δέ τις φησι etc.

Sic saepius sententia, adhortatio, praeceptum confertur cum facultate aut voluntate hominis, quae ad rem peragendam pertinet. Cf. Thucyd. I, 32. εἰ δὲ τούτων μηδὲν σαφὲς καταστήσουσι, i. e. quodsi nihil eorum, quibus opus est demonstrare possunt. I, 35. εἰ δύνασθε. I, 82. εἴ ποδὲν τινα — δύναμιν προσληψόμεθα. I, 122. εἰ μὴ ἀδρόοι — ἀμυνόμεθα. Plat. Laches ἡ. 21. εἴ τι ἡμῶν εὐπορώτερος. Thucyd. I, 140. οἷς εἰ ἔυγχωρήσετε, i. e. quibus si cedere, dum is est rerum status, non vultis. III, 32. εἰ μὴ παύσεται, i. e. si finem imponere crudelitati non vult. III, 57. Plataenses dicunt, Lacedaemonios iustitia uti debere.

Εἰ δὲ περὶ ἡμῶν γνώσεσθε τὰ μὴ εἰκότα, si injuste agendi consilium capturi estis. Huc pertinent formulae; *εἰ δοκεῖ* etc. Thucyd. I, 128. *εἰ καὶ σοὶ δοκεῖ*.

Postremo loco afferendum esse existimo, *εἰ* cum Indicativo poni, quando sententiam quandam ab alio pronuntiatam, memoria revocamus. Cujus rei causae uberius explicandae non sunt, cum iis contineantur, quae et de natura enuntiati subordinati in universum proposita sunt, et de natura hypotheseos. Thucyd. I, 86. *καίτοι εἰ πρὸς τοὺς Μήδους ἐγένοντο ἀγαθοὶ τότε*. Ac Sthenalaidēs, ephorus Lacedaemoniorum his verbis ad orationem spectat Atheniensium cap. 73 habitam, qui optime se bello Persico de tota Graecia meritos esse contēderunt. Atque *εἰ* positum esse videmus, quia Sthenelaidae res non ab omni parte explorata videtur sed cogitatione Atheniensium contineri, quae priusquam satis explorata sit, aut vera esse potest aut falsa. II, 11. *οὐκοῦν χρη, εἴ τῳ καὶ δοκοῦμεν πληθεῖ ἐπιέναι*. Quae verba ad illud referenda sunt, quod Archidamas eod. cap. dixit: *τῆσδε οὐπω μείζονα παρασκευῆν ἔχοντες ἐξήλομεν*. Cf. III, 56. *εἰ ἄρα ἡμάρτηται*, quae est sententia, a Lacedaemoniis proposita. — Plat. Apol. §. 17. *εἰ μὲν οὖν ταῦτά λέγων διαφθείρω*, quae est sententia adversariorum cf. ib. 22 et 5. *εἰ δὴ τίς ἐστι σοφία*, i. e. ut homines perhibent. Plat. Eutyphron. §. 8. *οἱ θεοὶ — οὐκ εἴπερ τι διαφέρονται*, quod referendum est ad ea, quae initio capitis dicta sunt: *στασιάζουσι οἱ θεοὶ — καὶ διαφέρονται ἀλλήλοις — καὶ τοῦτο εἴρηται*. Eodem modo §. 9. *εἴπερ στασιάζουσι περὶ τῶν δικαίων καὶ ἀδίκων, ὡς ὁ σὸς λόγος*. Apolog. Socr. §. 15. *εἴπερ δαίμονας ἠγοῦμαι, ὡς σὺ φῆς* etc. Atque ad hanc rationem existimo locos esse redigendos, in quibus res videtur certa, ut a particula causali minime differat. Sic Thucyd. II, 87. Brasidas dicit: *εἴ τις ἄρα δι' αὐτὴν φοβεῖται τὴν μέλλουσαν*, quanquam Cap. 86. extremo imperatores Cnemus et Brasidas militum animos revera metu subactos sensisse narrantur. Sed *εἰ* positum est, quia Brasidas orator his verbis, quod sibi visum est, exponit. Sic Thucyd. III, 9. *εἰ — ἀφιστάμεθα*, et III, 55. *εἰ δ' ἀποστήναι Ἀθηναίων οὐκ ἠδελήσαμεν*. Mytilenaei ab Atheniensibus defecerant, Plataenses noluerunt deficere. Sed puto *εἰ* positum esse, quia oratores sententiam spectant, quae ab adversario proferri possit, dum rem suam argumentis confirmare student. IV, 85. *εἰ χρόνῳ ἐπήλομεν*. Quod revera accidit. Sed Brasidam existimo etiam, dum orationem habuit, secum reputasse multa contra dici posse. Sunt igitur illa verba adversarii cujusdam habenda, quae Brasidas exploranda esse existimat. — Sed superest ut de usu Imperfecti et Aoristi dicam, quae tempora in enuntiato hypothetico sumtionem significant rei, quae non est facta. Atque equidem non putavi, novum genus eam ob rem constituendum esse, ut grammatici fere omnes faciunt; nam Indicativus Imperfecti et Aoristi nihil aliud significare potest, nisi quod Indicativi omnino est proprium. Sicut enim *εἰ* c. Praes. seu Fut. sumtionem rei indicat, quae antequam eventus perspectus sit, probabili conclusione fieri potest, ita *εἰ* c. Ind. Imperf. seu Aoristi significat sumtionem rei, quae, quanquam casu non accidit, tamen natura sua ac vi fieri potuit. Sic Demosth. Olynth. III, §. 17. dicit: *εἰ δὲ τοῦτ' ἐποίει ἔκαστος, ἐνίκων ἄν*. Quam sententiam explicat verbis: *μένειν γὰρ ἐξῆν* etc. Olynth. III, §. 5. *ἦν δ' οὗτος ὁ καιρὸς αὐτός*. Nunc describit, quae ob tempus illud opportunum fieri potuerunt, *εἰ γὰρ τότε ἐνεῖσε βοηθήσαμεν, ὥσπερ ἐψηφισάμεθα* etc. Et Athenienses certe facere poterant, cum auxilium ferendum jam decrevissent. Thucyd. II, 77. *πνεῦμά τε εἰ ἐπέγενετο αὐτῇ*, i. e. Plataeis, *ἐπίφορον, ὅπερ καὶ ἤλπιζον οἱ ἐναντίοι, οὐκ ἄν διέφυγον*. Aperte explicat Thucydides, adversarios existimasse, rem fieri potuisse. III, 53. Pla-

tacenses incerti sunt, quomodo ad quaestionem Lacedaemoniorum respondeant, utrum verum dicant, an mentiantur. Utrumque enim fieri potuit. Nunc dicunt: *ὁ μὴ ῥηθεὶς λόγος, — αἰτίαν ἂν παράσχοι, ὡς εἰ ἐλέχθη* (quod fieri potuit), *σωτήριος ἂν ἦν*. Thucyd. II, 94. Putabant incolentes Piraeum Salamina insulam jam captam esse, *ὅπερ ἂν εἰ ἐβουλήθησαν μὴ κατοικῆσαι, ῥαδίως ἂν ἐγένετο*. Id est: Casu accidit, ut cunctarentur, quod per ipsam rerum conditionem accidere non debuit. Demosth. Olynth. I, §. 8. *εἰ γὰρ — τὴν αὐτὴν παρείχομεθ' ἡμεῖς ὑπὲρ ἡμῶν αὐτῶν προθυμίαν, ἢ ἢ ὑπὲρ τοῖς Ἐυβοέων σωτηρίας, εἴχετ' ἂν Ἀμφίπολιν*. Quem animum promptum pro Euboeis servandis habebant Athenienses, eum etiam ad suas res tuendas habere poterant. Plat. Apolog. Socrat. §. 18. *εἰ μὲν τοι τι ἀπὸ τούτων ἀπέλαυον* etc., quod Socrates facere poterat, si sophistarum more uti voluisset.

Nunc de Coniunctivo videamus. Jam supra proposuimus, Coniunctivum hypotheticum significare rem futuram, quae a praesenti dependet et ea exacta efficitur. Atque ad hanc ita quidem refertur, ut, quod in genere obtinuisse scimus, in certum eum rerum statum transductum probabili conjectura effici posse statuamus; quanquam extra omnem dubitationem res posita non videtur, ita ut iudicium disiunctivum obtineat: aut erit res, aut non erit. Nam vis atque natura rei ita comparata est, ut in universum quidem rem effici posse concedendum sit, tamen casus certis illis temporibus ad quae res adstringitur, excogitari possint, qui quominus res existat, impediant. Sed alterum fiat necesse est. Nunc iudicium illud disiunctivum per partes considerare licet, sive utramque deinceps, sive alteram, quae vel ad veritatem magis accedere videatur, vel ad orationem gravioris momenti esse existimetur. Igitur Indicativus et Coniunctivus ad rem certam referendi conclusionem nituntur probabili ex certis causis temporibusque effecta; quam philosophi possibilitatem materialem, realem, relativam nominant. Sed differunt, quod Indicativus vim atque naturam per partes explanat, quae inhaerent, et dum totum existit, etiam adsunt; Coniunctivus illud significat quod a re certa, ad quam refertur, dependet et efficitur, neque dum illa existit, locum habet, immo exactam et absolutam excipit. Neque tempus quod protasi notatur, definitum esse, animo a complexu et serie rerum avocato, neque apodosin continuationem significare, sed mente sola coniungi, quae intervallo temporis discerni possunt, jam ex iis efficitur, quae supra de natura enuntiati subordinati protulimus. — Quae praecepta his exemplis confirmari videntur.

I. Coniunctivus ad tempus certum certamque causam refertur.

Platonis Phaedon. §. 42. *ἂν μὲν μᾶλλον ἀρμοσθῆ καὶ ἐπὶ πλέον*. Atque ἂν ad causam referri, et significare futuram rem ex ea fieri docent verba quae adjiciuntur: *εἴπερ ἐνδέχεται τοῦτο γίνεσθαι*. Ut Plat. Gorg. I, legimus: *εἰ μὲν δοκεῖ νῦν, εἰάν δὲ βούλη, εἰς αὐθις*. Demosth. Olynth. I, 25. Sermo est de Olyntho oppugnata. Ac dicit Demosthenes: *εἰάν μὲν γὰρ ἀντέχη τὰ τῶν Ὀλυνθίων — ἂν δ' ἐκεῖνα Φίλιππος λάβη*. Ratio Coniunctivi ea est: Dum Olynthus oppugnatur, eventus ille, cuius orator meminit, nondum adest. Atque eventum futurum esse, pro certo statuendum est, quanquam qualis sit futurus, omnes latet; unde iudicio disiunctivo aut restitutam esse urbem aut oppugnatum iri, id quod in genere fieri solet, proponitur, ita ut alterum suo tempore necessario eveniat. Sic Herodot. IV, 94. *ἀνακινήσαντες αὐτὸν μετέωρον ῥιπτεῦσι ἐς τὰς λόγχας ἢ μὲν δὴ ἀποθάνη — ἢ δὲ μὴ ἀποθάνη*. Alterum rationem illam agendi sequi necesse est. Plat. Apolog. §. 1. *εἰάν*

διὰ τῶν αὐτῶν λόγων ἀκούητέ μου ἀπολογουμένου. Socrates dum haec dicit, defensionem parat futuram; et ipse explicat, cur Coniunctivo sit usus additis verbis: δι' ὧν περ εἰώσα λέγειν καὶ ἐν ἀγορᾷ etc. Nam cum rudem sese oratoriae artis profiteatur, quippe qui septuagesimum annum agens primum apud iudices dicat, eam ob causam alia forma orationis exspectari nunc non potest, nisi ea, cui omnia adsuetus sit. Cf. cap. 15: εἴαν ἐν τῷ εἰωθότι τρόπῳ τοὺς λόγους ποιῶμαι. Cf. cap. 5: εἴαν δόξω τι ὑμῖν μέγα λέγειν, quod ex iis quae sequuntur colligi sane potest. Eodem sensu Demosth. Olynth. III, 3. ἂν μετὰ παρρησίας ποιῶμαι τοὺς λόγους, qui est oratoris mos. Cf. Thucyd. IV, 95. quo in loco Hippocrates milites Athenienses ad certamen cum Lacedaemoniis fortiter subeundum adhortatur. Nam ἦν νικήσωμεν — οὐ μὴ ποτε ὑμῖν Πελοποννήσιοι — ἐσβάλλωσι. Nam victoria pugnam fortium viro- rum sequi solet. Sic. Thucyd. I, 58. ἦν ἐπὶ Ποτιδαίαν ἴωσι οἱ Ἀθηναῖοι. Nunc quidem non aggrediuntur, sed cum bellum imminet et Atheniensium animi, ut cap. 57. docet, in Potidaeas infensi sint, probabili ratione potest concludi, id factum iri. Cf. I, 62. ἦν ἐπίωσι. IV, 107. ἦν ἐπὶ ὁ Βρασίδης, quod Amphipoli capta timendum erat. Cf. Thucyd. VI, 33. ἦν ἄρα ἢ κατεργασώμεθα etc., quae sententia explicatur: οὐ γὰρ δὴ μὴ τύχῳσιν γε ὧν προσδέχονται φοβοῦμαι, cui loco similis est: I, 141. ἄλλως τε κἂν παρὰ δόξαν ὄπερ εἰκὸς ὁ πόλεμος αὐτοῖς μηκύνηται. Olynth. I, 15. ἂν ἀμελήσωμεν, quod quidem in praesentia dum Demosthenes adhortatur non fit, neque fieri potest, sed ex notissima Atheniensium socordia factum iri sane conjici potest. Cf. Philipp. I, 11. ἂν περ οὕτω προσέχητε — τὸν νοῦν. Et Philipp. I, 18. Demosthenes suadet Atheniensibus, ut strenuo agant animo, quia Philippo aut metus injiciatur, aut ob contemptum Atheniensium imprudens opprimatur, μηδενὸς ὄντος ἐμποδῶν πλεῖν ἐπὶ τὴν ἐκείνου χώραν ὑμῖν ἂν ἐνδῶ καιρόν. Nam si Athenienses contemnens apparatus eorum non curat, omnino fit ut certo quodam tempore copiam det Atheniensibus Macedoniam ipsam invadendi. Pertinet huc formula: ἦν δέη. Cf. Thucyd. I, 44. Athenienses bellum inter Coreyraeos et Corinthios fieri volunt, ut, viribus eorum fractis, si quando opus sit, ἦν δέη, Corinthiis ceterisque qui classes habent, bellum inferrent. — Atque dum haec deliberant nondum est opus, sed vires bellantium cum fractum iri exspectent, occasio belli inferendi iis facile se dare potest. Cf. I, 58. ἦν δέη, quod ex iis quae Athenienses contra Potidaeam jam sunt moliti conjici potest. Ita II, 24. Demosth. Philipp. I, 16. Olynth. I, 20.

II. Sed Coniunctivus non solum significat, quod certo tempore certisque causis antegressis fieri potest, sed quod in universum sive quocumque tempore sive quotiescunque evenire potest. Quod si fit, ex universa lege et ipsa natura rei concludimus, atque, quod certis quibusdam causis ac temporibus locum habuisse vidimus id etiam in posterum conjicimus eadem plane ratione eventurum esse.

Thucyd. I, 140. ἦν ἄρα τι καὶ σφαλλώμεθα, i. e. si unquam fallamur, quod quando fiat sive quotiescunque, in incerto relinquitur. Atque orator rationem rei ipse explicat verbis additis: ἐνδέχεται γὰρ τὰς ἔμφυρας τῶν πραγμάτων οὐχ ἡσθον ἀμαθῶς χωρῆσαι ἢ καὶ τὰς διανοίας τῶν ἀνθρώπων. Igitur fieri illud potest, quia casus omnes fortuiti a prudentissimo quoque non possunt praevideri. Cf. Thucyd. IV, 18. ἦν ἄρα — σφαλήτε, ἃ πολλὰ ἐνδέχεται. II, 64. Factorum, dicit Pericles, quae magnificentissima civitatis nostrae propria sunt, memoria aeterna erit, etiamsi quondam de gradu dejiciamur, ἦν καὶ νῦν

ὑπενδῶμέν ποτε. Cujus sententiae ratio reddita est verbis: πάντα γὰρ πέφυκε καὶ ἐλασσοῦσθαι, i. e. omnium rerum natura cum ea sit, ut in deterius commutetur, etiam a nostra civitate haud aliena est existimanda. Ita explicandi sunt loci Thucyd. II, 44. ἦν τι πταισῶσι. Cf. Demosth. Olynth. I, 16. ἂν τι μὴ — ἐκβῆ. II, 10. II, 16. — Olynth. I, 11. Atheniensibus accidit, quod multa possidentibus. Ἄν μὲν γὰρ, ὅσα ἂν τις λάβῃ, καὶ σῶσῃ, μεγάλην ἔχει τῇ τύχῃ τὴν χάριν, ἂν δ' ἀναλώσας λάθῃ etc. Nam ita accidit, ut homines rem familiarem tueantur aut perdant. Cf. Olynth. III, 19. — Atque quod his locis natura rei continetur, id in aliis a certa consuetudine dependet. Olynth. III, 31. Demosthenes Atheniensis vituperat, quod omnem potestatem et reipublicae procuracionem e manibus sibi extorqueri passi, pecuniis sociisque nudati et infimo loco habiti, theatro solum gaudent ac viscerationibus, ἐὰν μεταδιδῶσι θεωρικῶν ὑμῖν ἢ βοῖδια πέμψωσιν οὔτοι. Quod variis temporibus certa consuetudine fieri solet. Philipp. I, 35. Panathenaea aut Dionysia semper suo tempore celebrantur, ἂν τε δεινοὶ λάχῶσι ἂν τε ἰδιῶται οἱ τούτων ἐκατέρων ἐπιμελούμενοι, i. e. si, quod variis temporibus saepiusque accidit, aut rei periti aut imperiti curam suscipiunt. Ita Thucyd. I, 37: Corcyraeorum ratio agendi in reprehensionem incurrit, qui, ἦν δὲ πού τι προσλάβωσι, ἀναισχυντοῦσι. Cf. Thucyd. II, 39. Pericles rationem agendi Lacedaemoniorum describit: ἦν δὲ πού μορίῳ τινὶ προσμίξωσι etc., quae res saepius accidit. Et II, 97. ἦν αὖτε κατὰ πρόμνην ἰστῆται τὸ πνεῦμα.

III. Tertius usus accedit, quo particula ἐὰν saepius componitur cum praecepto et adhortatione ad rem, quae in praesentia praetermittitur, agendam. Quodsi fit, particula illa conclusionem continet de facultate sive voluntate hominum agendi, neque usus ejus ab iis, quae jam statuimus discrepat. Nam sicut vidimus part. ἐὰν significare quod per caussarum cohaerentiam, aut aut natura fert aut consuetudo, effici potest, ita legi, praecepto et adhortationi vis adtribuitur ad animos hominum impellendos, ut aut faciant facienda aut omittant omittenda. Quam ob rem, quod recte se habet et in re ipsa inest, etiam fieri potest. Olynth. II, 13. καὶ ταῦτα ἐξελέθητε, ὡς προσήκει καὶ δεῖ, περαινέιν. Atque Athenienses, dum Demosthenes adhortatur, voluntatem illam non ostendunt, resque est futura. Quamnam vero vim in animos eorum praeceptum illud et cognitio melioris agendi rationis habitura sit, nescimus quidem, sed nihil impedit, quin colligamus, Athenienses ea adduci posse ut morem gerant. Olynth. III, 15. dicit orator: ψήφισμα οὐδενὸς ἀξιὸν ἐστίν, ἂν μὴ προσγένηται τὸ ποιεῖν ἐξέλγειν, i. e. voluntas agendi accedat necesse est, et est ea natura hominum ut ita iis agere liceat. Ib. καὶ πράξει δὲ δυνήσεσθε νῦν, ἐὰν ὀρθῶς ποιήτε, i. e. ita vobis et faciendum est, et vis ac materia simul inest ad ea facienda. Olynth. III, 33. ἐὰν οὖν ἀλλὰ νῦν γέτι ἀπαλλαγέντες τούτων τῶν ἐσθῶν ἐξελέθητε στρατεύεσθαι. Nunc quidem non faciunt, quod verbum docet: ἀπαλλαγέντες, sed potest fieri. Eodem plane modo dicitur Philipp. I, 7. ἂν τοίνυν — καὶ ὑμεῖς ἐπὶ τῆς τοιαύτης ἐξελέθητε γενέσθαι γνώμης νῦν, ἐπειδήπερ οὐ πρότερον. Cf. Philipp. I, 50. ἐὰν ἀφέντες ταῦτ' ἐκείνο εἰδῶμεν etc., quae est adhortatio oratoris, ut sibi persuadeant, Philippum esse inimicum. Cui adhortationi populum obtemperaturum esse colligi potest, quanquam pro certo et satis explorato non stat. Plat. Eutyphro. ἡ. 10: Conare mihi perspicue ostendere hanc actionem omnibus veram videri, καὶ μοι ἰκανῶς ἐνδείξῃ etc. Quidni enim fiat? Thucyd. I, 120. τοῖς κάτω ἦν μὴ ἀμύνωσι. Nam est eorum defendere, sed accidere potest, ut ex cura omittant quod agendum est. Thucyd. I, 144. Pericles

dicit multa se dicere posse ad spem victoriae, ἤν ἐδέλητε ἀρχὴν τε μὴ ἐπικταῖσθαι etc., quo consilio opus est, neque quin morem gerant, impedit. Thucyd. II, 24. ἤν δέ τις εἴπη ἢ ἐπιψηφίσῃ κινεῖν τὰ χρήματα ταῦτα ἐς ἄλλο τι — θάνατον ζημίαν ἐπέθεντο. Nam etsi leges conduntur, tamen non semper est ea vis, ut homines eas observent.

Nunc videamus de Optativo. Qui modus etiam ut Coniunctivus et Indicativus ad cogitationem referendus cum certa re certoque tempore data componitur, sed ita, ut quod sumitur non ex ipsa rei natura concludatur, sive quia in genere repugnat iis quae mente tenemus sive quia omnino illud in re ipsa inesse nescimus. Quamobrem ut quod sumimus efficiatur, casus opus est extrinsecus dandus; qui in universum quanquam mente potest formari atque cogitatione, tamen ratio ejus atque causa certo illo tempore incognita est, ita ut, utrum omnino casus accidat, an talis, quem cogitatione formamus, nullo modo probabili effici possit ratione. Igitur sicut Coniunctivus et Indicativus significant, quod, quanquam logica ratione ab omni parte nec definitum est nec necessarium, tamen certis temporibus caussisque datis aut esse aut fieri posse recte concluditur, ita Optativus exprimit, quod per logicam rationem, sive idealem sive absolutam nomines, in universum quidem, *si tempora et caussae dentur*, aut esse aut fieri potest, tamen ad data tempora transductum existere aut negamus aut nescimus. Deinde ut Coniunctivus et Indicativus, quod in genere fit ad certam rem ita adhibent, ut exceptio a regula etiam cogitari possit, res tamen sumta ad veritatem accedere videatur, ita Optativus, quod a regula, singulis temporibus certisque tantum caussis aut discedit aut in ea non inest, ad certum illud, de quo sermo est tempus transfert, neque aliud, nisi quod ad veritatem minus accedere videtur, indicat. Denique, Coniunctivus et Indicativus significant τὰ ἐνδοξα, Optativus τὰ παράδοξα. Neque equidem nego, Optativum sumtionem ficti exprimere, sed alia ratione atque Etzlerus rem definitio. Nam cum omnino sumtio rem fictam exprimat, quod nisi est, res vera atque certa existimanda, Optativi vis a Coniunctivo et Indicativo ita differt, ut quod ad veritatem minus *certis temporibus* accedere concludi possit, exprimat. Nam qui dicit: Si terrae motus quondam oriat, is cum ratio, qua motus existant, nondum e natura sit sublata, haud inepte concludit, quod omnino ea ratione factum est, id etiam in posterum omnino locum habiturum esse. Atque Coniunctivo utitur quanquam res est sumta et animo ficta. Aut qui certa signa certo tempore videt motum terrae denuntiantia, etiam ratione et observatione adductus hypothesi Coniunctivi utitur, quanquam res nondum est certa. Sed qui, quo tempore aut nulla sunt signa aut in sola cogitatione posita, aut ea quae ad aliam rem spectant, hypothesi illa utitur, is Optativo eam exprimat necesse est. Praeterea equidem arbitror Optativi usum proposita ea ratione contineri, sive de praeteritis rebus sermo sit sive de futuris, neque poni Optativum, quia res est praeterita, quod multi Grammatici et ipse Etzlerus p. 267. voluit, sed quia praeterita ejus rationis sunt, ut Optativo opus sit. Num cum modus id tantum spectet, quod certum sive incertum est, praeteritae res, si ratio poscit, aut Indicativo aut Optativo exprimendae sunt. — Sed locos exponamus rem illustrantes. Demosthenis Philipp. I, 12. καίτοι καὶ τοῦτο. εἴ τι πάθοι. Antea dixit: ἂν οὗτος τι πάθῃ. Sed hoc in universum dictum est: Si quid humani accidat quondam Philippo, a quo humana aliena non sunt existimanda. Sed Optativus ponitur, quia res ad certum tempus illud refertur, neque causa alia nisi rumoribus vanis nititur, qui, si casus fert, ad verum accedere possunt, sed certo illo tempore ratio atque causa veri obscura est. Platonis Laches §.30: Niceratum hunc lubenter ei tradam, εἰ ἐδέλοι οὗτος. Sed adjicit Nicias: αὐτός δὲ οὐκ ἐδέλει. — Contrarium

igitur casu accidere potest incognito. Plat. Apolog. §. 10. Socrates dicit, cum tot homines odio se prosequantur, *θαυμάζοιμ' ἄν, εἰ οἷός τ' εἶην ἐγὼ ὑμῶν ταύτην τὴν διαβολὴν ἐξελέσθαι*. Ib. §. 17. *καὶ εἰ δὴ τῷ σοφώτερός του φαίην εἶναι*. Socrates enim se nihil scire, supra saepius commemoravit. Ib. §. 24. *εἰ πείθοιμι ὑμᾶς καὶ τῷ δεῖσθαι βιαζοίμην ὁμωμοκίας*. Socrates jam supra, se hoc facere nolle, explicavit. Thucyd. I, 121. Lacedaemonii una clade accepta, *κατὰ τὸ εἰκὸς ἀλίσκονται. εἰ δ' ἀντίσχοιεν*, quod conjici minus potest. VI, 11. *τῶν δ' εἰ καὶ κρατήσοιμεν*, Syracusanos si vicerimus, quod cum tot hostibus premantur Athenienses, tantaque, ut cap. 10. exposuit Nicias, immineant pericula conjici vix potest. Cf. VI, 34: *Σινελιώται γὰρ εἰ θέλοισιν ἑσυχόν ἦμιστ' ἄν πείθοισθε*. etc. Sed orator antea ipse dixit: *ὑμεῖς διὰ τὸ ἐξήνηδες ἤσυχον ἦμιστ' ἄν πείθοισθε*.

